



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

Digitization on demand

Annales Camaldulenses Ordinis Sancti Benedicti

Quibus plura interseruntur tum ceteras Italico-monasticas res, tum
historiam Ecclesiasticam remque Diplomaticam illustrantia

Qui continet Addenda & Mutanda in superioribus Tomis, necnon
Appendicem Tomi Octavi

Costadoni, Anselmo

Venetiis, 1773

urn:nbn:de:gbv:3:3-5310



ANNALES
CAMALDULENSES
ORDINIS
SANCTI BENEDICTI.
TOMUS NONUS,

Qui continet ADDENDA & MUTANDA in superioribus Tomis,
necnon APPENDICEM Tomi OCTAVI

OPERA ET STUDIO

D. JOHANNIS-BENEDICTI MITTARELLI, ET D. ANSELMI COSTADONI
ABBATUM CAMALDULENSIUM.



VENETIIS, MDCCLXXIII.

Ære Monasterii Sancti MICHAELIS DE MURIANO.

Prostant apud JO: BAPTISTAM PASQUALI.
SUPERIORUM VENIA ET PRIVILEGIO.

B. PAULI JUSTINIANI
ET PETRI QUIRINI
EREMITARUM CAMALDULENSIUM
LIBELLUS
AD LEONEM X.
PONTIFICEM MAXIMUM.



USe RE Beatissime Pater
Leo Decime Pontifex Ma-
xime Libellum, quem
Tibi humiles Sanctitatis
Tuae Servi Petrus, &
Paulus Eremitae offerunt.
Neque enim aliud in ad-

mirabili hac exaltatione Tua, magnaue totius Orbis lætitia in eorum erga Te fidei, ac observantiæ testimonium habuerunt, quod offerrent. Hunc, si ad multas, maximasque occupationes Tuas respexeris, immensum fortasse volumen existimabis: Si vero ad ea, de quibus sermonem fecimus, animum intenderis, pro rerum magnitudine, ac diversitate brevem, jejunamque Orationem censueris. In eo autem, Pater Beatissime, si quæ facere jam aliquot annos Pontifices consueverunt, a Jesu Christo, quod minime credimus, probabuntur, inania deliramenta, aniles fabulas, ægrotantium somnia reperies. Si vero, quæ legitimum Pontificem, qualem Te esse non ambigimus, facere oporteat potius, quam quod alii fecerint, considerare volueris, multa fortasse utilia, quædam etiam inveniēs necessaria, si Tibi a Domino de mandato munus, non solum nomiſq; excellentia, & personæ dignitate, sed operis quoque consumatione implere desideras. Quamplurima autem in eo vana, atque minus opportune dicta esse nos ipsi suspicamur: quoniam in multiloquio peccata deesse non solent; satis tamen desiderio nostro fecisse credimus, si more eorum fecerimus, qui metalla effodiunt. Cum enim purum aurum, & argentum ex terræ visceribus eruere nunquam valeant, multum vilioris materiæ extrahunt, quod tamen, cum malleis conterendum, igniumque flammis examinandum committunt, pretiosi aliquid metalli suscipiunt. Nobis certe eorum exemplo multum erit, si hæc ipsa, quæ permixta, ac confusa hoc Libello continentur, malleo profundissimæ cogitationis Tuae contrita, igneque singularis Sapientiæ Tuae examinata,

purum aliquid, si non auri aut argenti, vilioris saltem metalli habuisse probabuntur. Rogamus vero Amplitudinis Tuae Pietatem, ut non rudem loquendi modum, non qualiter, sed quæ potius diximus, considerare velit; immo non quæ diximus, sed quæ dicere volumus, attendat. Nobis etenim Clementissimæ Patris, posteaquam Monasticam, & Eremiticam vitam in Apennini summitate professi sumus, christiane vivendi potior cura fuit semper, quam latine, aut eloquenter scribendi, & ad mentis etiam Tuae perspicacissimæ rerum omnium cognitionem rethoricis uti artibus minus congruum existimavimus. Quod enim res ipsæ Tibi persuadere non poterunt, nulla certe satis erit eloquentiæ vis ad persuadendum. Semper enim, sicut ad imperitiores, ac tardiores animos commovendos multum eloquentiam valere existimavimus: ita ad sapientiorum, ac prudentiorum corda stentenda nudas res ipsas, simplicique sermone prolatas plus posse, quam ullum verborum delectum, aut Orationis ornatum judicamus. Sentiunt, qui sapientiores sunt, quibuscumque verbis proferantur, cujusnam res ipsæ momenti sint, & rerum potius soliditate, quam verborum inanitate moventur. Neque etiam quinam illi sint, qui hæc ad Te scribere benignitatis Tuae abundantia freti, non timuerunt, Sapientiam Tuam intueri oportet: sed Divinæ potius Sapientiæ profunditatem considerare, quæ vilissimis pleurumque instrumentis ea operari solet, quæ prodesse etiam Sapientissimis possint. Ad aures autem Tuas hæc pervenire ille fortasse Dominus voluit, qui nihil ad rem pertinere arbitratus est, a quibusnam, aut quam latine dicerentur. Quare Beatissime Pontifex non quales nos sumus, aut qualiter loquamur, sed quæ dicimus potius, & a quo provenire eadem possint, Sapientia Tua metiatur. Nostræ vero temeritati, ac rusticitati Pietas illa Tua, quæ in hac exaltatione sua nemi-

ni Clementiam denegavit, veniam dare non recuset. Neque enim venia indignos nos arbitrari poteris, si quæ a Deo O. M. assiduis precibus, multisque lacrymis diu noctuque petere non cessamus, eadem ad Te, qui ejus in Terra vices geris, semel scribere ausi sumus, cum maxime Te precibus eorum omnium, qui consolationem Israel expectant, a Domino datum Pontificem, atque Pastorem non dubitemus.

Sex in Partes dividitur Libellus.

Prima. Pontificis Potestatem, ejusque officium ostendit.

Secunda. Judæos, & Idololatrias ad Fidem vocandos suadet.

Tertia. Mahumetanos aut convertendos, aut in pugnam vincendos proponit.

Quarta. Septem Christianorum Nationes, quæ a Romana Ecclesia sunt divisæ, Capiti uniendas dicit.

Quinta. De Christianorum omnium, qui Romano obediunt Pontifici, reformatione agit.

Sexta. Temporale Ecclesiæ Imperium per universas Infidelium Regiones augendum hortatur.

NOS, Beatissime Pater, qui ex manibus tuis Religionis nostræ reparationem suscipiuri ex Camaldulensis Eremitæ, Te, Julianoque Fratre tuo vocante, ad Florentinæ Civitatis frequentiam læti his proximis diebus descenderamus: nunc intimæ exultationis, atque exuberantis lætitiæ pleni, his Beatitudinem tuam scriptis adire, magnaque animi jubilatione ante Te procedentes in Beatorum Pedum tuorum oscula prostrare non dubitamus, non hujus modo nostri pusilli gregis, sed totius jam Christianæ Religionis restaurationem expetentes, atque illam a Te per viscera Misericordiæ Jesu Christi votis omnibus efflagitantes. Te enim ad hoc opus peragendum, præter hominum expectationem, a Domino electum, atque ad sublimem Pontificalem dignitatis apicem elevatum existimamus. Viderat quippe Summus ille rerum omnium Moderator, qua alacritate, quo recto animi affectu Religionem semper coluisses. Et nuperrime demandatum Tibi a Julio, qui tunc Pontificem agebat, reformandæ Religionis nostræ munus susceperas: & qui animi desiderium, piumque ejus affectum pro opere computare solet, non passus est Te diutius his rebus minimis occupari, neque expectare voluit, ut opere impleres, quæ mente conceperas: Sed ex ipsa sola

animi intentione satis de Te experimenti suscepisse ratus, majora Tibi, imo maxima committere non dubitavit. Te enim ideo toti Christianæ Reipublicæ præposuit, & Sacrosanctæ nostræ Religionis Pontificem Summum instituit, ut qui post multa, maximaque in omnes Monasticos Ordines beneficia, novissime prolapsam P. N. Romualdi domunculam restaurandam, parvum, Amplitudinique tuæ impar negotium, magno Religionis zelo succensus suscipere non recusaveras, dignissimo jam jam, tuæque Sapientiæ congruo munere universalem ipsam Religionum omnium Matrem, labentem Christi Ecclesiam reparare, atque in pristinum suæ claritatis decorem reducere inciperes. Non enim ad hanc Summam Amplitudinis Dignitatem, ac maximam omnium, quæ sub Cælo sunt, potestatem, ideo Te ille humanarum omnium rerum Dispensator Optimus evexit, ut inani Pontificis nomine, aut mundanæ gloriæ vanitate contentus, luxu, otio, atque ignavia, quæ a Te semper aliena fuere, in Terris vitam duceres; sed ea potius ratione universum Terrarum orbem tuo moderamini, imperioque subiecit, ut per industriam, sollicitudinem, ac sapientiam tuam ad instar Cælestis Regni una humanarum omnium Creaturarum Christo Domino servientium Reipublica constitueretur in Terra. Cum enim nullus omnino in universo terrarum orbe hominum sit, qui a Divinæ Majestatis Potestate se alienum esse ulla ratione valeat suspicari, Tuque in Terris immensæ illius Majestatis vices geras, manifestissime sit, totum humanum genus, omnes scilicet gentes, populos, nationes, quæ sub Cælo sunt, tuæ subditas esse potestati, tuisque nutibus regenda humana omnia, atque tuo arbitrio moderanda. Ideo enim ad Evangelium omnibus Creaturis in universo orbe prædicandum Apostolos suos Dominus mittebat; ideo illos non solum in Jerusalem, Judæa, & Samaria; sed usque ad ultimum Terræ sibi testes futuros prædicebat, ut qui Apostolicæ functionis onus susciperent, facile intelligere possent, illius supremæ Dignitatis munus esse non parvam aliquam Terræ particulam, non quasdam hominum condiciones, sed Orbem ipsum universum, totumque prorsus humanum genus regere, ac moderari: Non ut terreno Imperio aucta sublimiori loco Apostolica Sedes constitueretur, quam de sola humilitate D. N. Jesu Christi veltigiis inhærentem gloriari decet; sed magis, ut omnium humanarum Creaturarum Domina effecta, ille, qui ad sedendum in ipsa a Domino eligitur, eos, qui

qui nondum Fidem Christi, in qua sola salus est, susceperunt, ad illam suscipiendam, vitæ exemplo invitare, beneficiis allicere, atque attrahere possit. Illos vero, qui semel Fidei Veritate suscepta, aut perversorum hominum fallacia decepti, aut propriis voluptatibus allecti ab ea discessisse videntur, opportunis, congruisque artibus ad Fidei ipsius Veritatem cognoscendam, sectandamque pie cogere valeat. Hoc enim Pontificis Maximi munus esse, si re ipsa non tantum nomine Pontifex sit futurus, neminem sanæ mentis dubitare existimamus. Qui vero de Pontificis Potestate disputare audent, nequaquam nobis sani iudicii esse videntur. Quippe, quoniam si id solum animadvertere non negligerent, cuiusnam vices Pontifex in Terris gerere ab omnibus censeatur, facile omnem in illo plenitudinem Potestatis perciperent, quem Summi, Maximi, Omnipotentissimique Dei omnium Auctoris, atque Moderatoris Vicarium esse apertissime consentitur. Nam insulsum sane est claudendi, aperiendique Cælorum Regna potestatem ab ipso Cælorum, Terrarumque Domino Pontifici traditam non negare, & adhuc de plenissima supra universum genus humanum Pontificis potestate dubitare; Præsertim cum toties in Evangelio Dominicos greges pascendos, regendosque illi traditos, atque commissos legamus, certissimeque cognoscamus nullum in hoc Terrarum ambitu hominum esse, qui inter illius Pastoris Optimi oves computari non debeat, qui pro universorum hominum salute, Dei Filius cum esset, carnem assumere, & in ea mortem subire non dubitavit. Qui vero aliarum Ecclesiarum Antistites Romano Pontifici Potestatis, aut Dignitatis excellentia æquare contendunt, non minus, immo multo etiam magis aberrare iudicandi sunt; Quoniam non frustra, aut casu factum existimare debemus, qui Petro potius, quam alicui aliorum Apostolorum traditas Regni Cælorum claves legimus: quod illi, & non alteri dictum sit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; quod discessurus ab Apostolorum præsentia Dominus Petro potius, quam alteri, ter etiam repetito sermone, oves, agnosque suos pascendos committeret; quod de Petri potius, quam de cæterorum Fide dixerit Dominus: *Rogavi pro Te, ut non deficiat Fides tua: & tu aliquando conversus confirma Fratres tuos*. Nonnisi magno Sancti Spiritus ministerio factum, quod Evangelistæ testimonio, dum Apostoli numerandi sunt, Petri nomen non solum ante alios poni-

tur, sed primus omnino nominatur, primus utique & dignitate, & potestate, tantaque excellentiæ sublimitate, ut nullus in Terris illi æquari possit. Quemadmodum enim unus in Cælis est omnium Dominus Jesus Christus, ita unum in Terris, qui ejus vices gerat, reliquit Petrum, Petrique legitimum successorem. Quod videntes antiquiores illi Sanctissimi Patres ad Sacras Synodos universales congregati, apertissimis Definitionibus declarare, omnium Ecclesiarum Caput Romanam Beatorum Apostolorum Petri & Pauli Sanguine consecratam Ecclesiam esse. Cum itaque omni dubio procul sublimissima hæc Beatissimi Petri Sedes, in qua nunc Tu Sanctissime Pater a Domino mirabili electione collocatus es, sit omnium, quæ in Universo sunt, Ecclesiarum Caput, & Domina, cum nihil omnino de plenitudine Apostolicæ potestatis dilatandum sit, evidentissime colligere possumus, tuæ nunc Beatitudinis munus esse, universum Terrarum orbem, ac omne hominum genus regere, & moderari, nullamque penitus esse Orbis partem, neque humanarum creaturarum aliquam, quæ tuis Imperiis parere, tuisque nutibus obtemperare non habeat. Te enim vere hodie constituit Dominus super gentes, & Regna, super gentes scilicet universas, quæ sub Cælo sunt, & super omnia Regna Mundi hujus, ut tuo arbitrio evelas & destruas disperdas & dissipas, & ædifices & plantes. Verum Tu certe omnibus melius sentis, Pater Beatissime, qualis Tibi a Domino commissa provincia fuerit; non enim angustissimæ hujus Italiæ modo, aut etiam non satis latæ Europæ solum, sed longe etiam ampliora, potentioraque Africa, Asiæque, totius scilicet Universi Regna, & Imperia omnia tuæ subiecit potestati, tuæque fidei commisit. Triplicem namque Capiti tuo coronam imposuit, ut Universum ipsum, quod in tres partes dividitur, tuis imperiis subiectum non ambigeres. Non Italicorum modo hominum, non eorum Christianorum, qui aptiorem hanc Orbis partem, Europam scilicet ipsam incolunt; sed & cum his eorum etiam omnium, qui, licet propter Regionum distantiam nobis minus sint noti, sub Christi tamen nomine viventis multis, amplissimisque Regnis maximas universi orbis Provincias, Asiam fere totam, & habitabiles Africæ Regiones occupant, Cura, Salutisque Tibi commissa est. Quid enim Christiano utcumque nomine censeretur potest, quod Christi Vicario commissum, subiectumque non esse intelligatur; sed & præ-

ter Christianas omnes gentes, etiam illas, populos, & nationes, quæ cum Christum aliquando cognovissent, Hæreticorum, perverforumque hominum fallaciis deceptæ, averte a Christi Fide impios alios vivendi ritus, falsaque nefandæ alterius Religionis Dogmata susceperunt: quales illi omnes sunt, qui spurcissimi, & impiissimi hominis Mahumeti contaminatissimam, omniumque Hæreticorum infectam venæis Hæresim sequuntur, & cum his illos etiam, qui perverfa cordis duritia, obdurataque contra veritatem cervice, nunquam Christianæ Fidei jugum suscipere voluerunt, tuæ subiectos potestati, tuæ commissos fidei, & diligentia, ille esse voluit, qui cum omnium Dominus sit, omnes vult homines salvos fieri, ut Tibi ejus in Terris vices gerenti, humanarum omnium penitus creaturarum salus sit eordi, ut commissum Tibi hominum genus suprema hac omnium potestate, maximaque illa animi tui Sapientia ita regeres, & per tranquillissimam in Terris pacem ad æternæ Beatitudinis felicitatem, omnes pariter homines perduceres. Hoc, Beatissime Pater, proprium, præcipuumque Pontificis munus esse, tuam non ambigere Beatitudinem credimus, Ecclesiam Sanctam Dei Tibi commissam esse omnes intelligunt; Veram autem Ecclesiam Dei, non terrenæ habitationis civitates, aut manufacta ædificia, sed hominum Congregationem esse te latere non debet. Inde enim jam usu suscepto vocabulo, ii Sacrorum Domorum parietes & tecta Ecclesia Dei nuncupantur, quod in eis fidelium animarum multitudo, quæ vera Ecclesia est, congregetur, Deus enim non in manufactis inhabitat, sed Templum Sanctum Dei, Pauli Apostoli testimonio, homines ipsi sunt; Tu vero Templi vivi istius antistes, tu sublimitate Dignitatis, auctoritatisque constitutus, ideo omni majori cura, studio ac diligentia, quæcumque in eo turpia, aut indæcora sunt, emendare, & quæcumque illi desunt, vera, Deoque digna ornamenta adicere debes; Quoniam Christo Domino, cui soli inservire Tibi cura omnis esse debet, pretiosius, cariusque est, unum hoc vivis ex lapidibus constructum Templum, quam quæcumque magnificentissimis ex parietibus, sublimibusque tectis, pretiosissimisque ornamentis manufacta templa, quæ Deo unquam in universo dicata fuere. Nullus enim Te ipso apertius nosse debuit, quod non universali modo Creaturarum, sed unius cujuscumque Animæ salus pretiosior sit in conspectu Domini Nostri Jesu Christi, quam omnia

universi orbis hujus Regna ipsa, & Imperia. Quippe cum Te non lateat ipsum pro hominum salute acerbissimam Crucis mortem subire voluisse, tantamque erga humani generis Creaturas ejus dilectionem, charitatemque esse, ut nullus adeo in universo humilis, abjectusque sit, pro cuius solius salute, si opus esset, non se iterum libentissime Cruci, mortique traderet; Mundi autem Regna omnia ostendentem, imperiaque pollicentem neque audire sustinuit, sed & graviter increpans, eum a se discedere iussit, penitusque abiecit. Quæ quidem Spiritu sancto dictante scripta sunt, ut ad nostram Doctrinam singula quæque trahentes, facile intelligere possimus, illis, qui Christo placere student, æternæque ab eo retributionis munera expectant, uniuscujusque animæ salutem, magis quam multarum Civitatum Imperia curæ esse debere. Illa enim & sempiterna est, & a Divinitatis participatione non aliena; hæ autem, quæcumque fuerint Civitates, atque etiam terrenæ Imperia, si ad æternitatem conferas, momento citius dilabuntur & pereunt, nec stabillora videntur habere fundamenta, quam ea tabernacula Pastorum, quæ manè posita cum sint, vespere destruantur. Transeunte enim, vento citius, Mundi hujus figura, quid in eo stabile, aut non momentaneum esse potest? Hæc autem eadem Regna ipsa, & Imperia, etiam si diutius permanerent, nonne si cum humani animi dignitate, cum ea, cujus est capax, Divinitate conferre incipias, omni pulvere visiora sunt existimanda? Ex hac vero, Beatissime Pater, supputatione ea exoritur summa, tuæ scilicet amplitudinis munus esse, si Christi vestigia imitari, ejusque beneplacitis in hac ab eo Tibi tradita potestate inherere volueris, non Civitates, & Castra Terrenæ hujus Ecclesiæ potestati subicere; sed tuis manibus Christo Domino puros commissarum tibi ovium animos offerre, ut illa citius perficiatur Ecclesia, quæ in Cælis vivis, æternisque construitur ex lapidibus. Cum itaque Summi Pontificis cura, minima quidem circa Terreni Imperii dilatationem, maxima vero circa humanarum omnium Creaturarum salutem versanda sit: jam alta sublimis mentis tuæ consideratione Te prospexisse credimus, Universam hanc omnium in Terris degentium multitudinem, cui Tu & præesse, & non minus prodesse debes, ex diversâ, multiplicique hominum varietate constare. Non eadem est omnibus Religio, non Fides, mores, non æqua conditio; Te enim id, quod omnibus fere notum est, latere non potest,

test, hac hujus sæculi tempestate sic se genus humanum universum habere, ut quantum ad Fidei veritatem attinet, triplici possit diversitate distingui; quidam etenim ita extra Christianæ Ecclesiæ pietatem penitus sunt, ut intra eam nunquam fuisse cognoscantur: alii autem, eo quod extra rectam Ecclesiæ Fidem nunc penitus sunt, cum superioribus quidem computari possent, sed propterea diversimodè ab illis existimantur, quoniam intra ipsius Christianæ Ecclesiæ ambitum aliquando fuisse intelliguntur: multo vero plures & illi existunt, qui ita Christianæ Veritatis quædam suscipere, quædam autem non suscipere videntur; ut nullus omnino, præter Beatitudinem tuam, si intra Ecclesiam, aut extra illam sint, aperte valeat definire. His tribus hominum conditionibus quartum illud adjicitur, quod genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta, populus acquisitionis, Beati Petri Apostoli voce appellatur. Hi sunt, qui intra castissimum Christianæ Ecclesiæ gremium, ceu intra piissimæ Matris sinum carissimi filii continentur. Sentis, Beatissime Pater, magnam in Terris esse hominum diversitatem, neminem tamen aut a dignitatis tuæ potestate liberum, aut a tuæ pietatis cura alienum esse, sentire Te credimus; quoniam quale amplissimi officii munus sit, ille Te admonere sæpius potuit, qui ad Apostolatus Dignitatem a Domino vocatus, dicebat: *Græcis, & Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum, larum certe gentium, quamquam Infidelium a se curam alienam indicans. Quod apertius etiam significare volens, alibi agebat: Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrificerem; Judæis scilicet, tamquam Judæus; his qui sub lege sunt, tamquam sub lege; his qui secundum legem sunt, tamquam sine lege; infirmis tamquam infirmus, & denique omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrificerem.* Et vere, cum non hujus solius, sed omnium Apostolorum, & Apostolicorum virorum maximam semper curam fuisse cognoscas, ex universarum gentium diversitate, unam Christi Ecclesiam congregare, Tu Principis Apostolorum locum tenens dubitare non potes, ad tuæ amplitudinis Majestatem attinere: sic omnium humanarum creaturarum curam suscipere, ut nulla adeo barbara, adeo infidelis, & a Christianæ Pietatis veritate aliena gens sit, cui Tu, Christi amore, inservire non habeas, ut ex ea, quoscumque poteris, Christo lucrificas. Si enim, ut antiquiora non reprehendamus, Infidelium a se alienam cu-

ram Beatus ille Pontifex Gregorius existimasset, quomodo fidelis nunc Anglia Christum coleret? Cum his igitur tribus hominum conditionibus, qui non penitus intra Ecclesiæ pietatem sunt, non minus, immo & multo magis fortasse, quam illis, qui intra pium Ecclesiæ gremium continentur, si Apostolicæ Dignitatis munus implere cogitas, Te debitorem esse intelliges, magna illa animi Tui Sapientia ac Pietate. Quomodo his hominum conditionibus proficere possis, jam considerare Te credimus, & totam mentis tuæ intentionem circa hæc versari censemus. Quare Beatitudini tuæ non grave futurum existimamus, si de his ad amplitudinis tuæ majestatem nos quædam altius repetita scribere audeamus: non quod ea, quæ scripturi sumus, profundissimam illam tuam rerum cognitionem subterfugere posse ullo modo judicemus; sed quod in hac exaltationis tuæ magna totius orbis lætitia nos has imperitas voces continere nullo modo potuimus.

Si igitur primo ad eam hominum conditionem, qui omnino extra Ecclesiam sunt, neque intra eam nunquam fuisse cognoscimus, Pietatis tuæ oculum intendere volueris, infinitam pene in toto Terrarum Orbe dispersam Gentis Judæorum multitudinem aspicias. Quamquam enim ad multa millia illi hujus gentis accedant, qui per omnes Christianorum Regiones habitare videntur; multo tamen plures ab his, qui Orbem ipsum circuire consueverunt, illi existimantur, qui inter Infideles habitant Nationes. Præter Judæos autem non parvum esse eorum hominum numerum, qui neque nunc Christum colunt, neque unquam coluisse creduntur, illæ testantur Occidentalis Oceani magnæ Insulæ, (si modo Insulæ, & non Continentis partes esse existimantur) quæ ad hoc usque sæculum omnibus incognitæ, a magnis illis Occidentalibus Regibus repertæ fuere, in quibus innumerabilis populorum multitudo habitare dicitur, quibus Christi Nomen nunquam fuisse notum existimatur. Hi omnes, quamquam, eo quod Christianæ Fidei veritatem neque nunc quidem suscipiunt, neque unquam suscepisse creduntur, unius conditionis esse dicantur; quoniam tamen diversa illis est Infidelitatis causa, diverso indigere videntur auxilio. Judæi enim, si recte consideremus, nulla inscitia, aut ignorantia, sed obdurata potius Cordis perfidia Christum non suscipiunt; quem enim illorum Lex, & Prophetæ venturum manifestissime prædicant; quem Pa-

tres eorum crucifixisse negare non audent; quem a tot millibus ex Judæis & Gentibus omnibus in unam Fidem congregatis adorari in universis Orbis partibus non ignorant, hunc suscipere non acquiescunt. Illarumvero extremarum Orbis partium incolæ ideo Christum non colunt, quoniam ipsum Christi nomen ad hanc usque diem nunquam audivisse recordantur. Quod tamen ita omnino esse non obstinati contenderimus. Nam licet eam Prophetæ vocem, qua attestatur, in omnem Terram exiisse Apostolorum sonum, ad futurum trahere possemus: facile tamen & id evenire potuisse existimamus, ut vocem Dominum Jesum prædicantium in omnem Terram jam olim exiisse credamus, temporum autem injuria factum esse, ut illis in locis obliteratum ex omni memoria ita sit, ac si nunquam ibi Christus annuntiatus fuisset. His gentibus eodem morbo, diversa tamen causa laborantibus, a Te, qui animarum omnium languentium vere medicus es, diversa sunt excogitanda remedia, quibus, quantum in Te sit, ex miserabili hac infirmitate, ad Christianæ veritatis sanitatem ac vitam revocentur, priusquam plures eorum in æternam illam miseriarum omnium mortem dilabantur. Judæis prodesse fortasse poteris, si ii animi blanditiis, atque omnibus humanitatis officiis ad Fidem alliciantur; inde vero si allecti converti noluerint, pro eorum cervicosa perfidia, acerbius, duriusque tractentur: non quod vis aliqua illis inferatur; ad Fidem enim neminem cogendum esse, sacri Canones definierunt; sed ut videntes illos, qui ex eis converti voluerunt, foveri, illos vero, qui hoc facere nunquam acquieverunt, sperni, atque durius haberi, his stimulis, quasi duobus calcari, ad iter Veritatis, & Vitæ arripendum facilius incitentur. Satis vero a Te blandiri, atque foveri existimabunt, si divitibus convertis, quamquam injusta arte acquisitas divitias suas habere permiseris. Cum enim, quæ illi aliena ex iniqua fœneratione possident, pro multitudine, ignorantiaque personarum, a quibus fœnerati sunt, propriis dominis restitui non possint, plenissime sub Apostolicæ definitionis potestate esse credimus, eas ipsas divitias, cui visum fuerit, & jam ipsis injuste possidentibus, si convertantur, elargiri. Pauperibus vero, si ad Christi Fidem vere converti voluerint, de Ecclesiæ Bonis, quæ victui, vestituique eorum necessaria sunt, provideantur. Quos enim vi compellere non possumus, non quasi pretio conducere, sed his vitæ sub-

Append. Annal. Camald. Tom. VIII.

fidiis allicere, non illicitum esse credimus. Quod si Ecclesiæ thesauros in alios usus convertere potius videbitur, quamquam non facile sit invenire, in quæ piora pietatis opera convertantur, cum ea misericordia, quæ animarum salutem præstat, verior misericordia sit, quam quæ nutriendis corporibus impenditur, poterit tamen Beatitudo tua, Ecclesiæ divitiis nequaquam imminutis, pauperibus, qui convertantur, misericorditer quædam elargiri, si divitibus, qui converti voluerint, aliquam parvam divitiarum particulam in aliquod fidele ærarium conferre juseris, in nullos alios usus expendendam, nisi ejusdem gentis pauperibus, cum conversi ad veritatem fuerint, per Episcopos elargiendam. Tam vero divitibus, quam pauperibus commune beneficium existimabitur, si quicumque ad Fidem conversi fuerint, illis donentur Civitatibus, in quibus sacrum suscipere baptismum elegerint, si pro singulorum virtute, ac industria ad sæcularia, & opportuno quoque tempore, ad Ecclesiastica Beneficia promoveantur, aliisque hujuscemodi favoribus prosequaris. Qui vero ex Judæis neque veritatis amore, neque his pietatis officiis converti ad Christum voluerint, non iniquum fore putamus, si durius, asperiusque tractentur; non quod odio illos prosequi ullo modo Christianis æquum sit, sed ut magna quadam paternæ in eos pietatis norma, quos blanditiis emollire non potuimus, minoribus, atque verberibus ad cor redire quoquo modo cogamus. Acerba autem illis verbera existimamus futura, si nullatenus inter Christianos fœnerari permittantur, si mercaturæ commercia, aliasque artes exercere prohibeantur, si pedagia rerum omnium plus illis aliquantulum augeantur, quam Christianis hominibus, si non multum temporis in eodem loco manere, neque ita libere synagogas habere, cæremoniasque suas exercere permittantur, si nullo modo cum Christianis habitare, aut ambulare, aut navigare illis concedatur, si manifestissimo signo in Christianorum regionibus notentur, quo ab omnibus facilius digrosi, ac evitari valeant. Non injusta esse hæc credimus, neque violenta, quæ ad contendam sane cordis eorum duritiam non inutilia fortasse reperientur. Si experimentum fieri contingat, non sunt tamen duo illa remediorum genera prætermittenda, in quibus non humanæ sapientia industria, sed Divinæ pietatis gratia operari existimamus; quorum alterum est, ut illis non a quibuscumque, sed ab his, qui a Te ad hoc opus eligentur, Doctrina,

r r

& mo.

& moribus præditis verbum vitæ inces-
santèr administretur, ut non de Philoso-
phorum rationibus, non de nostrorum Do-
ctorum auctoritatibus, sed de suis propriis
Scripturis convincantur, perfidiaque eo-
rum expulsa eis Veritatis lumen, & Sa-
cri Evangelii, Apostolorumque doctrina
ostendatur. Fidem etenim nostram, ideo
plurimi eorum abhorreere videntur, quo-
niam, quæ nos credimus, minime intel-
ligunt. In quo illud admirabile est, quod
nos idolorum cultores existimant, cum
nihil ita sit a Christiana veritate alienum,
quam ipsum Idololatricæ crimen. Hoc enim
in universo terrarum Orbe diffusum per
solam Christi prædicationem penitus extin-
ctum cognovimus. Alterum vero pii re-
medii genus est, si pro illis, tamquam
pro pereuntibus fratribus ab omni Eccle-
sia, ac singulis quibusque fidelibus Ora-
tiones sine intermissione, voces, & pia-
rum lacrymarum intercessionibus ad Domi-
num dirigantur: Quæ devotius fient, si
Tu pro illis Orationibus Indulgentiarum
munera larga manu contuleris. His qui-
dem artibus; aut efficacioribus etiam aliis,
quæ nos pro mentis imbecillitate excogi-
tare non possumus, Domino Jesu auxi-
liante, multos converti posse non diffidi-
mus; id unum si Tu nobis dederis, Bea-
tissime Pater, ut pietatis tuæ oculis ad
eorum miseriam converis, de eorum salu-
tate cogitare incipias, si eos Christo lu-
crifacere cupias. Hoc si prædideris, non
deerunt Tibi salubriora ad hoc opus Sa-
pientium consilia. Non deerunt maxime
illius tuæ sapientiæ profundissimæ excogi-
tata argumenta, quibus non dura tantum
Judæorum corda, sed durissimos etiam
lapides valeas emollire. Neque Tu, pro-
pterea quod aliquantulum in sua perfidia
pertinaciores videntur, de eorum conver-
sione, quasi Tibi nulla spes salutis reli-
qua sit, minus cogitare debes: quoniam
non est ea manus Domini abbreviata,
quæ de lapidibus filios Abraham suscita-
re potuit; quia immo potens est Deus ex-
cisos in terra ramos inferere. Nam si nos
ex oleastro gentilitatis excisi in bonam
olivam contra naturam inferti sumus,
quanto magis hos secundum naturam suæ
olivæ a Domino inferendos sperare non
prohibemur. Non enim ea Divinæ Pieta-
tis immixta est abundantia, per quam
ad Petri vocem uno die hujus gentis tria
millia, alio autem quinque millia ad Do-
minum Jesum conversi sunt. Tuum igitur,
Beatissime Pater, qui Sanctissimam
Petri Sedem tenes, officium est, omnibus
modis de Judæorum salute sollicitum ef-
se, pro quibus omnibus Apostoli multa

fecerunt, tuleruntque, ut eos ad amu-
landum Fidei cultum provocarent, salvos
aliquos saltem ex illis facere cupientes.
Ubi vero omnia tentaveris, ubi unguen-
ta omnia atque medicamenta adhibueris,
insipientiæ vero eorum vulnera ita com-
putruisse respexeris, ut curari nullo mo-
do possint, postremum omnium erit, ut
illos tanquam morbidas oves a Christianis
gregibus ita omnino separari jubeas, ut
in nullo Christianæ potestatis loco perma-
nere, aut per illum pertransire permittas.
Quod statim ante omnia faciendum
ausi fuisset dicere, nisi ad eorum sa-
lutem potius respicere, pium, Christianæ-
que disciplinæ opus esse suspicari essemus;
& nisi Judæorum accessione Infidelium
vires augendas fore dubitasset. Vere
enim, si ad Christianæ plebis commodum,
salutemque pie respexeris, nihil in toto
hoc Judæorum negotio expediens magis,
opportunitumque videbitur, quam eos pe-
nitentia ex omnibus Christianæ Dominatio-
nis Regionibus, capitis etiam pœna con-
stituta, expellere; quoniam præter illud
incommodum, quo Christianam plebem
fœnerando offiunt, quod sub commodi
specie maximum est incommodum, vani-
simis superstitionibus gens illa, vanarum
superstitionum omnium Magistra, milleque
iniquis ac impiis artibus Christianum Pe-
pulum imbuat. Inde enim inanissimorum
somnia inanes interpretationes: in-
de dierum observationes, futurorum præ-
dictiones: inde alia multæ pessimæ, hu-
manoque generi perniciosissimæ artes,
quasi ex omnium impietatum fonte in
miserabile Christianum vulgus derivant.
Ut autem longiorem sermonem paucis
verbis colligamus, Judæorum certe salu-
ti, & Christianorum simul hominum com-
modo, Fideique puritati optime consule-
re Te posse credimus, si talem aliquam
legem promulgaveris, qua illi intelligant,
qui se ad Fidem convertere voluerint,
quibus Beneficiis sint sublevandi: qui ve-
ro noluerint, quibus sint incommodis affi-
ciendi; Te vero, non in perpetuum, sed
ad quemdam usque præfixum annorum
numerum conversionem eorum expectatu-
rum denuntiaveris, quo transacto mini-
me permittendum eos inter Christianos ul-
lo modo reperiri declaraveris. Hæc vero
cum nihil omnino obesse, prodesse autem,
Divina auxiliante misericordia, multum
possint, nulloque penitus periculo, la-
bore, aut dispendio fiant, non videmus,
cur prætermittenda, aut aspernanda om-
nino videantur.

Sed jam & de illis loqui aggredia-
mur,

mur, qui neque Judaicam legem, neque Evangelicam Jesu Christi Doctrinam suscepisse unquam cognoscuntur, sed misera adhuc idolorum servitute, vanis, impiisque superstitionibus tenentur, de quorum salute non minus, immo magis etiam, quam de Judaeorum conversione Te, Beatissime Pontifex, cogitare credimus, tum quoniam fratres illos nostros esse non Te latet (& nos enim aliquando gentes fuimus), tum maxime, quia miserandi magis sunt, quoniam si quid ipsi fecerunt, id pura ignorantia, non obstinata perfidia faciunt, & ideo eorum facilior conversio futura est, quod experientia comprobatum audivimus. Cum enim superioribus annis Catholici illi occidentales Reges ad transfretandum magnum illud occidentale Pelagum, variasque ipsius continentis partes perquirendas naves quamplurimas transmisissent, novit omnibus melius Beatitudo Tua, quot, qualesque insulae neque antiquioribus Scriptoribus, neque aetatis nostrae hominibus antea cognitae, ab illis repertae fuerint. Neque Te latet, quantum habitabilis Terrae, quae sive magna insula, sive continens sit, non adhuc pro comperto habetur, in hominum cognitionem venerit, in qua gentes reperiuntur, quae neque Judaicam sapiunt superstitionem, neque Christi Veritatem cognoverunt, neque Mahumeti impia haerese sunt foedatae: Sed vano Idolorum Solis, & Lunae, animaliumque diversorum cultui inserviunt. Ad quarum aliquas cum Religiosi illi Principes Deo dicatos homines, & sacrae Fidei nostrae institutionibus eruditos transmisissent, hi autem, utcumque lingua, idiomateque illorum percepto, cum illis Christianorum Crucifixum praedicare cepissent, infinitam pene eorum multitudinem credidisse, Christumque suscepisse audivimus; Te vero, si ita se res habeat, cognovisse credimus; Non falsum autem omnino existimamus, quod omnes totius Hispaniae populi manifestissime testantur. Dum enim apud eos Reges ego Petrus pro Venetorum Republica, cui tunc inserviebam, Legatus, agerem, hoc ab omnibus aperte praedicari audivi, nullamque prorsus aliam ad eorum gentium conversionem difficultatem esse accepi, quam eorum linguam addiscere. Ubi cumque enim est, qui possit eis Christum annuntiare, illi in eum verissime credentes, & Fidem, & sacri Baptismatis lavacrum devotissime suscipiunt; ita ut non Christiani modo, sed Monachi fieri incipiant. Jam enim in magnos illos Terrae ambitus, quos occidentalem Indiam vocant, sexdecim constructa esse

Append. Anal. Camald. Tom. VIII.

Monasteria sub B. Francisci Regula, non illis modo regionibus constanter asseritur, sed ad nos usque haec fama pervenit. His, Sanctissime Pater, sola ignorantia laborantibus, sic avide, sic libenter audientibus, cumque audierint, Christum suscipientibus non succurrere, magnam ignaviam, maximamque impietatem esse Te existimare credimus. Unde de tantarum animarum salute multo magis, quam Reges illos, Te sollicitum anxiumque futurum speramus, cum id maxime, non Regum negotium, sed Apostolicum potius opus esse non ignores, totumque hoc onus tuis humeris incumbere Te minime lateat; Nisi enim pro viribus Tu Christum illis annuntiandum curaveris, Te de animabus eorum in extremo tremendi illius Judicii examine rationem redditurum fore non ambigimus: Nisi Apostolicam Dignitatem ad quietem potius, & otium, quam ad sollicitudines, & ad labores Tibi traditam existimes: Nisi Pontificalis apicis honore frui, optimi autem Pastoris onus non subire sine culpa Te posse cogites. Illi enim recto Dei Judicio minus arguentur: *Quomodo enim credent, nisi audierint; quomodo autem audient, nisi illis predicetur?* Caeteri vero omnes Christiani vix aliquam hac in re culpam subibunt: quomodo enim praedicabunt alicui, nisi mittantur? Mitti autem a quo possunt, nisi a Te Christianorum omnium Pontifice Maximo; Cum enim summum locum teneas, summamque possideas auctoritatem, sicut magni boni, si ad hoc animum intenderis, sic magni etiam mali, si neglexeris, causa esse poteris. Postquam igitur neque illi credere possunt, nisi audierint, neque audire, nisi illis predicetur, neque aliquis praedicare, nisi mittatur, neque mitti ullus potest, nisi a Te uno, reliquum est, ut si hi minus, quam fieri potuisset, crediderint, omnis in Te uno culpa rejiciatur. Quare, si saluti tuae consulere in animo est, illarum gentium salutem nullo modo negligere poteris. Jam enim pastoralis Officii ratione tuam nequaquam quaerere valeas, illorum neglecta salute, neque eorum salutem negligere, nisi & propriam negligas. Quod cum factum omnino a Domino sit, Tibi non grave, aut molestum, sed suave, atque gratissimum esse debere existimamus: Quoniam non hoc Tibi a Domino opus commissum est, ut laboriosius ad salutem pervenires, sed magis ut ad gloriam virtutibus, sanctissimisque moribus tuis jam preparatam his meritis facilius accederes, cumulationemque Beatitudinis aeternae felicitatem susciperes. Quod Tu profundissima, & in

rr ij Deum

Deum tota mentis intentione conversa cognoscens, hanc curam negligere nequaquam credimus. Sed jam nobis videre videtur, Te intra cubiculum mentis tuæ sollicitè indagare, si quos idoneos habeas, quos lucri spe ad hoc negotium mittere possis; & quamquam non facile Tibi occurrant, qui possint idonei ministri existimari, non ideo tamen illa animi tui deterretur magnitudo; sed potius, cum idoneos ad hæc opera a prædecessoribus Tibi præparatos non invenias; & Tibimet, & aliis, qui post Te futuri sunt, hujusmodi ministros, magis quam auri, aut argenti thesauros comparare cogitas. Hæc enim duo illa potissimum sunt, in quibus earum gentium saluti consulere poteris: Unum, si ad eos electos ex omni Religione peritiores maturioris ætatis viros ad Christum prædicandum miseris, qui utcumque poterint, vel per interpretes, vel saltem moribus, & vita, si minus sermone poterint, Christianam illis vivendi rationem ostendant, & juniores etiam aliqui, qui Fidei sint non ignorari, docilesque, si mittantur, non multo tempore, neque magno labore inter illos versantes eorum linguam addiscere poterunt, qua potiti peritia idoneos jam se Tibi ministros præbebunt. Neque dubitare Beatitudinem tuam oportet, an in hac Religiosi fervoris declinatione aliquos reperire valeas, qui ad hoc opus libenter accedant, si a Te mittantur; quoniam, quamquam omnes declinasse a pristino illo Religionis fervore appareat, reliquit tamen sibi adhuc Dominus, quos minus cognoscimus, septem millia virorum, qui non incurvaverunt genua sua coram Baal, & præter hos nullus adeo ignavus, nullus adeo professionis, servitutisque suæ, quam Domino obtulerit, oblitus est, ut Te annuente, non libenter, non avide, non latenter ad Tibi in Terris, & Christo in Cælis ferviendum accedat. Quid enim alii facturi sint, nos ex animorum nostrorum ardore colligimus. Si enim nos, qui heri, aut nudius tertius, relictis sæculi vanitatibus, Christi jugum suscepimus, qui omnium Monachorum postremi, omnium Religiosorum minimi sumus, omnibusque minus idonei, ut ad hoc opus vel postremi a Te eligamur, id tamen non desiderare non possumus, & si a Te nobis mitti contingerit, id magis muneris loco habituri sumus. Nihil enim in hac vita nobis optatius contingere posset, quam inter Gentes, quæ Christum minime cognoscunt, religiosum Christi nomen, non temere a nobis hoc præsumentes, sed a Te missi prædicare. Quod etiam quamplurimos alios,

quanto idonei magis sunt, tanto etiam ardentius desiderare non dubitamus. Alterum vero, quod non tantum his gentibus, sed aliis etiam omnibus professe posse non ambigimus, illud est, quod nunc tanquam novum a nobis minime excogitatur, sed a Sanctissimis antiquioribus Fidei nostræ Patribus inventum cognovimus, qui animadvertentes, quod Linguarum gratiam, quam super Apostolos Dominus in die Pentecostes effudit, (idque peccatis nostris sic exigentibus) accipere non meremur, sine Linguarum autem cognitione infidelibus, barbarisque nationibus, quibus omnino debitores sumus, Christum prædicare non possumus; ad sacrosanctas illas universales synodos congregati, & Spiritus Sancti lumine afflati constantissimis definitionibus statuerunt, in omni Christianorum loco, ubi studia vigerent Litterarum, illud proximum summa diligentia curandum, ut omnium Gentium Linguæ, quarum principales Hebraica, Græca, Latina, & Arabica fore censentur, quantum fieri posset, addicerentur, edocerenturque. Non quod aliqua curiositate in his Linguis juniora ingenia occupari vellent, sed quod sic fieri debere censentur, ut ad prædicandum Christum in omnibus gentibus & nationibus plurimi idonei evaderent. Quod & illi non tacuerunt, qui post illos fuerunt Sancti Pontifices, sed eadem confirmantes apertissime declaraverunt. Has oblivionis caligine obrutas Sanctissimas Patrum Sanctiones si Tu non edicto modo, sed opere ipso in lucem revocabis, non dubitamus, Te non multo post tempore plurimos habiturum idoneos, quos ad omnes Gentes ad Christum Jesum Crucifixum nuntiandum, & prædicandum mittere possis. Proderit huic operi, si ex illis Occidentalibus insulis, & ex omnibus simili ratione regionibus juniores aliquos ad Te adduci curaveris, qui non ut servi Tibi ministrent, sed ut per Monasteria, quæ sanctiora sunt, distributi & linguam pariter nostram, & Fidei Christianæ veritatem addiscant, & linguam quoque propriam aliquos doceant. Si enim ad eos alienos miseris, & ex illis quosdam ad Te adduci curabis, facillime fiet, ut hac mutua consuetudine nos linguam eorum, illi vero nostræ Fidei veritatem addiscant. Unde ad Fidei cultum in illis regionibus disseminandum duplex Tibi præparabitur instrumentum, dum hac arte nobis extraneæ linguæ peritiam, illis vero ignotæ veritatis agnitionem parabis. Sed hæc, Sanctissime Pater, pacis sunt opera. Qui enim vero Dei armis nullo pacto

pacto resistunt, armis impugnandi, atque ad Fidem trahendi nequaquam sunt: Sed cum his potius, qui duritia cordis Fidei nostræ veritatem non recipiant, partim humanitatis officiis, partim minis, ac piis verberibus, ut diximus, ita agendum est, ut eorum pertinax propositum emolliatur, frangaturque. Cum his vero qui sola ignorantia a Christianæ veritatis semita aberrant, prædicatione & doctrina, sic omnia tractanda fore existimamus, quibus ad rectum Fidei callem ipsi revocentur. Hæc eorum omnium, qui nec impræsentiarum Christum suscipiant, neque unquam suscepisse videntur, pastoralis Officii cura, quamquam magna, tua tamen animi Sapientia, atque generositate est minor.

NEGOTIUM VERO, quod Tibi cum his superest, qui nunc extra Ecclesiam omnino sunt, neque Christianam veritatem recipiunt, aliquando tamen intra Ecclesiæ gremium fuisse, & Christi Fidem suscepisse cognoscuntur, majus quidem est, non autem magnitudini tuæ impar esse poterit. Nam qui non cordis duritia, non veritatis ignorantia, sed armorum sevitia verbo Dei resistunt, piis Ecclesiæ armis impugnandi, subiciendique sunt. Quemadmodum enim, qui nunquam veritatis Fidem susceperunt, ut ad Fidem accendantur, cogendi nequaquam sunt, sed aliis artibus alliciendi, sic illi, qui suscepta Fidei veritate, ab ea impie discesserunt, & non rationibus, sed gladiis illi resistunt, armorum violentia, ut ad cor redeant, & veritatem suscipiant, sunt urgendi. Quod si id minus facere voluerint, non crudele, non impium, sed maximæ pietatis opus est, eos piis armis opprimere, atque iusta Ecclesiæ dextera trucidare. Sacrorum enim Canonum auctoritas, quæ non nisi Spiritus Sancti virtute emanavit, Hæreticos homines, illos scilicet omnes, qui semel suscepta veritate impie ab ea recesserunt, non solum aliis omnibus violentiæ generibus cogendos esse, ut ad Fidei redeant pietatem; sed nisi redierint, opprimendos statuit. Quod Tu, Sanctissime Pater, cui omnia sunt Ecclesiastica Decreta optime cognita, non ignoras, quam autem illis periculosum sit, quibus a Sacris Ecclesiæ legibus, a Sancto scilicet Spiritu hæc provincia demandatur, vel minima aliqua ex parte hujusmodi Dei præcepta spernere, (sanctæ enim Leges, non nisi Divina præcepta sunt) exemplo nobis Saul & Achab esse possunt. De eorum namque altero, quoniam contra præceptum Domini, quod per Samuelem audierat, Regi Amalech pe-

percerat, dixit Dominus: Pœnitet me, quod constituerim eum Regem, quia verba mea opere non implevit, & vere secundum quod illi idem Propheta dixerat, abiecit eum Dominus, ne esset Rex. Alteri autem, quoniam Regem Syriæ, quem dederat Dominus in manibus ejus, vivum abire permisit, dictum est: Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus. Sed & inter magna populi Israel crimina per Psalmistam recensetur, quod non disperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis, unde iratus est eis, & tradidit eos in manus gentium. Hæc autem, ne Tibi, populisque tuæ Fidei commissis contingant, Te, quoniam primum Apostolicæ Dignitatis apicem ascendisti, ante cætera omnia cogitare capisse credimus, quomodo impium hoc hominum genus, aut ad pietatem Fidei revocare, aut delere omnino possis a facie Terræ. Hoc enim Amplitudinis, Dignitatisque Romani Pontificis munus esse non dubitas. Hoc magnanimitate, Sapientiaque tua negotium usque ad hæc tempora reservatum a Domino credimus. Hoc illud est unicum, quod non inani aliqua, sed solida, stabili, sempiternaque gloria in universum Orbem Terrarum Te merito supra omnes, qui ante Te fuere, Romanos Pontifices extollere potest, & ad illam simul immortalitatis beatam gloriam sublevare. Hoc a Te omnes, qui Christum colunt, totis votis exoptulant, omni fiducia expectant. Hoc illud unum est, quod Beatissimi illi Apostolorum Principes Petrus & Paulus a Te, qui nunc eorum locum tenes, exigunt. Si enim illi homines pauperes sine imperio, omni Idolorum cultura penitus destructa, universum Terrarum Orbem Christianæ Fidei subjecerunt; Te, qui & Dignitate maximus es, & divitiarum thesauris abundas, supremumque Imperium possides, nisi ab hoc impiorum hominum genere Orbem ipsum liberaveris, nequam dignum Successorem eorum arbitrabuntur. Hoc unum illud est, in quo Sancti omnes Pontifices, qui ante Te fuere, Beatæque omnes illæ Cœlestis Gloriæ mentes postremum virtutis tuæ experimentum sumere expectant. Hoc illud denique est, ad quod peragendum Dominus noster Jesus Christus Tibi ejus in Terris vices præter tuam, omniumque expectationem, commisit. Hoc nisi præstiteris, certissime nihil præstiteris, nihil omnino Christianis hominibus, nihil Cœlestis Gloriæ Civibus, nihil Terrarum Cœlorumque Domino præstiteris. Hæc vero
si præ-

si præstitis, omnia certe Te præstitisse censuimus; quoniam, nisi hoc confeceris negotium, nihil omnino est, quod recte succedere Christianis possit. Hoc autem confecto, omnia ad vota sponte sua consequentur. Quæ quidem Tu omnium melius intelligens, totam mentis tuæ vim ad hoc unum jam convertisse credimus. Non enim ullo modo existimamus, Te videre posse tot millia commissarum Tibi ovium a veritatis semita aberrare, atque in adversarii illius Leonis fauces incidere, & magno Pietatis zelo non succendi, alioquin non Pastorem, sed Mercenarium potius Te esse ostenderes. De his enim, qui aliquando Fidei veritatem excoluisse cognoscuntur, quamquam ab ea longissime recesserunt, nemini dubium esse potest, quod inter commissas Tibi a Domino oves connumerandi sunt. Tua igitur si ad hoc hominum genus cura prospiciat, statim videre poterit, omnes, qui Mahumetis seivissimæ, fœdissimæque Daciæ Hæresim sequuntur, hujusmodi esse. Nihil enim aliud est Mahumetanorum hominum nefanda religio, quam impia quædam hæresis, armorum violentia, temporum longitudine confirmata. Mille enim prope elapsi anni jam sunt, quod antiquissimus humani generis hostis seivissimum nequitie suæ ministrum Mahumetum excitavit, qui partim occasione Schismatum, & Hæresiarum, quibus ea tempestate vexabat quammaxime Christi Ecclesiam: partim armorum vi ac fraude, illam cepit nefandissimam legem, vivendique spurcissimum ritum tradere, quo nunc Christiani hominis inimici Mahumetani omnes utuntur: qui ex septem principioribus Orbis Ecclesiis, quæ Patriarchali Dignitate fulgebant, unicam tantum Romanam Christianis reliquerunt, cæterisque omnibus occupatis, atque in impiissimum, non Dei, sed Diaboli cultum conversis, Christianam magna ex parte Religionem destruxerunt, Christianumque omnino nomen delere avidissime concupiscunt. Cum enim post Domini nostri Jesu Christi Ascensionem, omnibus Idolorum superstitionibus destructis, universus Terrarum Orbis apostolica prædicatione Christum suscepisset, hi surrexerunt impii Mahumetis sectatores, qui inter nos, qui hanc sub Christi nomine Europam habitamus, & illos, qui Christum etiam adorantes Africa, Asiaque illas maximas Regiones incolunt, interpositi, quasi murus ita nos ab eis, & illos a nobis separant, quod quamquam multo plures illi sint Christiani, quam nos sumus, eorum tamen cognitionem aliquam habere vix possumus.

Ipsi vero tanquam membra a suo capite divisa varias patiuntur infirmitates, neque ab eis resurgere, nisi capiti suo iterum conjungantur, ullo modo possunt. Coniungi autem minime valent, nisi interpositus hic impietatis murus destruat. Ut igitur illis consulas, qui tot millia numero in ea hæresi quotidie nascuntur, educanturque, qui omnino in æternum pereunt; Ut Christianis Orientalibus, qui innumerabiles sunt, a Romana Ecclesia, non aliqua nequitia, aut discordia, sed hujus generis interpositione divisi, subvenias; a capite enim divisa membra salutis sanitatem consequi non possunt; Ut nobis etiam, qui hanc Europæ partem incolimus, provideas; illi enim, nisi deleantur, eorum quæ possident, nunquam contenti, etiam quod reliquum Christiani nominis est, occupare aggredientur, cum pacis hujusmodi gens impatiens semper extiterit; Ut universis orbis partibus hoc impietatis veneo, aut misere infectis, aut quæ miserius occupari timent; pius succurras, oportet Te, Beatissime Pater, cui universi orbis, totiusque humani generis cura, non ab hominibus modo, sed a Domino ipso demandata est, hanc orbis subversionem, Fidei Christianæ destructionem, tot millia animarum æternam perditionem, neque negligentia spernere, neque dissidia negligere, neque proprii commodi amore parvifacere, neque timore derelinquere, neque aliis minoribus occupationibus disserere, neque conficiendi negotii desperatione deserere, sed potius maxima animi alacritate, magnanimitateque congruam virtutibus tuis provinciam intrepide suscipere, & omni alia cura seposita, nullis laboribus, nullis dispendiis, nullis vigiliis aut incommodis parcendo, cum Domini Nostri Jesu Christi auxilio proficere: In ea enim perficienda unum a Te solum Dominus ipse querit, ut quemadmodum ille Te in Ministrum suum eligere dignatus est, ita Tu ad præbendum temetipsam illi Ministrum accommodes, non ut tuam, sed Tu Domini tui causam suscipias, neque ullo modo ita modicæ sis Fidei, ut de operis perfectione dubitare incipias. Si enim Domini causa hæc est, quod nemo unquam ægabit, non deerunt Divinæ Sapientie resecta, opportunaque ad rem ipsam perficiendam consilia, non deerit Omnipotentis fortitudo, quæ adversariorum vires confringat. Ab eo aderunt Tibi omnia, quæ ad rem ipso votis conficiendam optari possunt. Tu modo hanc ipsam provinciam intrepide aggredere. Cum enim per temetipsam possit Deus hæc impias gen-
tes

tes solo voluntatis ejus nutu delere a facie universæ terræ, ut tamen Tibi, & his, qui tecum in hac expeditione futuri sunt, æternæ vitæ præmia, cœlestique felicitatis gloriam cumulatus tribuat, hanc Tibi, tuisque promerendæ illius Beatitudinis viam aperuit, laboresque proponit, ut mercedem omni labore imparem suscipias. Meminit enim sublimitas tua, Sanctissime Pater, quoniam cum ad delendas Cananzorum, & reliquorum Imperiorum gentes Moysen, atque Josue post eum elegeret Dominus, omnes demum in eorum manibus tradidit. Nec Te latet, quæ, & quanta mirabilia supra omne id, quod ab humano ingenio excogitari, humanisque viribus perfici potuisset, præstitit illis Deus, cui non erat difficile in magno, aut in parvo numero vincere, cum unus ex illis mille hostium viros persequeretur, cum ad clamorem populi, clangoremque tubarum firmissima moenia dilaberentur, cum lapides de Cælo ad instar grandinis illos interficerent, qui manus militum Domini effugissent. An Tu majora etiam his, occultioraque affutura Tibi Domini auxilia disidis? Sed minime disidendum est, quoniam si vero Dei zelo pia Tibi voluntas aderit, facultas Tibi a Domino deesse non poterit, quo auxiliante, etiam si solus cum fratribus tuis inermis contra has impias gentes procederes, de victoria minime disidendum esset. Non enim oblitus es, quomodo sævissimum Christiani, Romanique nominis hostem, qui tam ingenti exercitu, furoris plenus, victoriis exultans ad desolandam Urbem procedebat, ille Sanctus Pontifex, ejus Tu Tibi nomen delegisti, inermis obvius procedens paucis verbis terruerit, fregerit, superaverit, Urbem, Italiamque servaverit, captivos redemerit. Sed quoniam Deus, qui semper omnia in omnibus operatur; universas enim creaturas ejus instrumentum fore non ambigimus, non semper infinitam suæ Majestatis potentiam his mirabilibus ostendit; omnia, quæ ipse in hac tam sancta expeditione mirabiliter facere poterat, hominum potius industria ac labore, dum occulte consilia, viresque tribuat, & maxima semper, licet non semper aperta, auxilia conferret, confici permittet, ob idque tantam Tibi potestatem tuam ad Dignitatis auctoritatem præstitit, ut si ad humanas etiam solum vires respicias, Te posse hoc negotium conficere non disidas. Quæ enim sint Pontificis vires; quæ Christianorum Principum omnium, quibus potentia præsens, Te latere non potest. Nam quamvis pia Domini dispensatione factum

fit, ut multi ante Te Pontifices propriam non cognoverint potestatem, ne quali sæviores belluæ in proprios greges grassarentur immanius, si suarum majorum virum cognitores fuissent: Tibi tamen ad pietatis opera jam converso, Tibi, inquam, qui ad Christi Jesu imitationem animam tuam pro ovibus tuis tradere paratus es, qui per ostium ingressus, tanquam verus Pastor, pascere Dominicum gregem, nequaquam autem maculare venisti, incognitam esse Christianorum virtutem, tuæque Sedis auctoritatem, ac potestatem ullo modo credimus. Dum enim superioribus annis Pontifex Maximus omnes Christianos Principes & Reges concordia jungit, proque arbitrio suo discordia dividit, dum Principes ipsi in Christiani nominis perniciem, bella, & impie quidem, exercent, viresque suas in semetipsos experiuntur, quæ sit Christianorum hominum virtus, quæ sit Pontificis in omnes Christianos auctoritas atque potestas, non Tibi modo, sed & multis etiam aliis pie considerantibus innotescere potuit. Si enim, qui ante Te Beatissimi Petri Sedem tenuerunt, solum ad Christianorum Principum animos inter se conciliandos, ac contra ipsos Christiani nominis hostes incitandos Apostolica auctoritate usi essent; si tantum Christiani sanguinis, atque etiam auri pro Christiana pietate contra perfidas has nationes dimicando effusum, profusumque fuisset, quantum pro minima hujus Italiae partis Imperio his proximis annis effusum audivimus, non esset, Beatissime Pater, non inquam esset Jesu Christi Domini, & Dei nostri sepulcrum in infidelium potestate; non tot millia in Dei honorem constructa Tempora Dæmoniorum cultui deservirent; non infinita Christianorum multitudo infidelibus subjecta esset nationibus; non denique Christiana Religio in derisum ac multorum hominum subannationem reperiretur; Sed hæc Tibi Sanctissime Pontifex a Domino reservabantur, ut virtutibus tuis meritam, pietatique tuæ quoquo modo debitam mercedem condonaret. Tu igitur, Piissime Pater, qui in ea temporum opportunitate, ad Pontificalis potestatis apicem ascendisti, in qua & Christi Principes omnes armatos habent exercitus, ac inter se dissidentes, in qua Principes ipsi ad concordiam, & pacem nequaquam redire poterant, si ad expugnandos communes hostes unanimiter non convenerint, in qua etiam infideles civilia inter se bella exercent, divisque facilius superari poterunt. Utere modo, utere Sapientia animi tui, utere a Domino Tibi concessa Auctoritate. Christiana

stiana arma, quæ huc usque in proprio sunt fœdata sanguine, in propriis grassata visceribus, converte in impiorum Fidei, Religionisque, ac Libertatis Christianæ hostium caput; Nulla enim alia ratione ad pacis conditiones suscipiendas commoti Christianorum Principum animi facilius inter se convenire poterunt, quam si, Te auctore, Te Duce contra infideles has pessimas nationes eorum rabies convertatur. Vidimus sæpe male inter sedisidentes Fratres, seque invicem armis petentes, quibus si communis hostis occurrerit, statim unanimes, quæ in semetipsos exercebant, contra extraneum arma converterunt. Sic quidem hac tempestate fiet Pater Optime. Si enim Tu Christianis Principibus communem Fidei Christianæ Libertatis hostem impugnandum obtuleris, Yane depositis odiis, paceque inter se firmata, concordibus animis ad communem hostem delendum convenient. Pacem namque Christianis reddere nequaquam poteris, si Christiana arma contra Infideles convertere non tentaveris, si armorum exercitum; maleque convenientium animorum furores in communes hostes non immiseris: & nisi se se offerret impræsentiarum hæc tam sancta, tam laudabilis, tam bonis omnibus optabilis contra infideles expeditio, inquirenda, desiderandaque vel ea ratione maxime fuisset, ut vesana Christianorum odia, inimicitia, bella hac sola occasione extinguerentur. Non enim, ut insanum vulgus existimat, componenda sunt prius Italiæ negotia, ad pacemque Christiani Principes compellendi, ut ad Infidelium postremam expugnationem unanimiter Christiani omnes accendantur; Sed ante omnia potius illis commune bellum est proponendum contra communes Religionis inimicos. Tunc enim facilius quascumque volueris pacis conditiones propriarum simultatum obliti suscipient, cum Te docente communem hostem, quem impugnare magis oporteat, adesse intelligent. Facilius namque est, armatos, instructoque exercitus ex impiis ad pia, sanctaque prælia convertere, quam ad quietem, armorumque depositionem persuadere, ubi maxima, & in bello spes victoriæ non desit, & in victoriæ divitiarum omnium, maximorumque Imperiorum acquisitio proponatur. Si enim, Te admonente, quæ sint Infidelium divitiæ, Christiani milites, qui prædæ cupiditate in nostræ Religionis populos sæpissime grassantur: si quam ingentia sint eorum Imperia Christiani Principes, qui sola dilatandi Imperii ambitione Italiam alter alteri quam avide rapere gestiunt, Te docente, cognoverint: ea

animi alacritate hæc contra impios Mahumetas bella aggredientur: ea strenuitate in illis exercebatur, ut facilis, & cita innocuaque Christianis omnibus victoriæ sit futura. Congrega Tu modo Sapia, auctoritateque tua Christianos Principes, & quæ in propriis visceribus convertenda jam paraverunt arma, illa eadem in sævas & Christiani Sanguinis sitibundas Belluas converte. Nunc enim quando inter se dissident Infideles, & non modo gentes contra gentem, Rex contra Regem; sed & Frater contra Fratrem maximis odiis sævissima bella exercent, facilius Tibi victoriæ promittitur. Regnum enim in seipsum divisum, extraneo superveniente hoste, diutius stare non potest, sed facillime defolatur. Vides, Beatissime Pontifex, nisi dissimulare omnino volueris, quot & qualia sint, quæ Te ad suscipiendum negotium urgent compelluntque. Ut autem, quæ diffusius diximus, brevibus colligamus, commissa Tibi a Domino hæc sunt oves, quæ intra Dominicum gregem aliquando fuere, nunc autem extra Ecclesiæ pietatem egressæ in sævissimi Leonis fauces inciderunt, atque in æternum pereunt. Armis hujusmodi homines impugnandos pia, sanctæque Leges statuunt. Et Tu tot continue pereuntium animarum interitus otiosus spectator esse sustinebis? Innumerabiles sunt Christianorum hominum multitudines, quæ, hoc pariete interposito, a Romana Ecclesia, ab eorum scilicet Capite, divisa sunt membra. Neque conjungi illi possunt, nisi medius ille paries destruat: & Tu tantarum sub Christi vexillo degentium animarum salutem negligere poteris? Sævissimi Fidei nostræ hostes, regnandi aviditate, destruendi Christiani nominis inextinguibili siti, eorum quotannis augentes Imperium, a Christianis Imperia, Libertatemque auferre conantur, nostrisque pene cervicibus miserrimæ servitutis jugum jamjam imponere videntur; & Tu, qui Christianorum Pontifex Maximus a Domino electus es, tantum Christianæ Reipublicæ periculum videre dissimulabis? Christianorum odia, inimicitiaque, quibus miseræ Christiani nominis reliquiæ rapinis, incendiis, ac cædibus consumuntur, non alia ratione facilius sedari possunt, neque Christianis omnibus vera pacis tranquillitas reddi, quam si communis hostis Christianorum omnium armis pereat: & Tu, qui Regum & Principum, pro eorum in Pontificem Maximum reverentia ac observantia, voluntates moderaris ac regis, & merito quidem, quoniam ejus Domini vices geris, in cujus manu sunt corda Regum, quid-

quidquam aliud cogitare, curareve poteris, quam communem Christianorum omnium exercitum contra infideles Nationes instruere, atque coactis in unum Christianorum viribus, communem eorum hostem oppugnare, cum maxime, si ad humanas tantum vires respicias, contrariam Tibi victoriam polliceri possis, sed in Domini Jesu Christi auxilio confusus de hujus impia hæresis destructione, horumque impiorum hominum abolitione nequaquam valeas dubitare. Tempus enim Divinæ ultionis jam advenisse, neque ulterius posse Dominum nefandissimam gentis hujus superstitionem, immanissimosque eorum mores sustinere credimus: præsertim cum Te pium, religiosum, Christiani Nominis studiosum, liberalem, magnificentum, magnanimum, in consiliis sapientem, in promissionibus fidelissimum, in arduissimis rebus strenuum, ad Pontificalem Beatorum Apostolorum Sedem sublevatum conspicimus. Neque enim alium in universo hominum genere Te uno magis ad hæc conficienda negotia eligere potuisse credimus, neque mortalium quempiam esse, qui hæc ipsa Te ardentius optaverit unquam; quoniam non modo, postquam Romanorum Cardinalium ordini tenera adhuc ætate annumeratus accessisti, sed ab ipsa infantia tua hoc tam sanctum, tam piur desiderium in pectore tuo versatum adivimus. Neque in universo Terrarum orbem quempiam esse judicamus, qui sapientius posset opportuna, salubriaque consilia excogitare; & quæ maturo consilio excogitata fuerint, opere ipso perficere; Ob idque tanta jam mentis intentione Te hanc provinciam suscepisse non dubitamus, versarique in hac ipsa quam plurimas cogitationum tuarum credimus. Et quamquam temeritatis notam sapere videatur, hæc ad Te scribere, quæ Tu ipse multo profundius cogitas, multo melius intelligis, quam nos, qui ea Tibi recensere audemus, dabis tamen in tanta exaltatione tua, Christianæque Reipublicæ exultatione temeritati nostræ veniam Beatissime Pater, & nos, quæ semel cepimus, pro tuæ benignitatis abundantia prosequi permittes. Mahumetani omnes ferissimi Christiani nominis hostes, contra quos optamus quam maxime, speramusque Christiana omnia arma, Te auctore, Te Duce, quam citissime conversa videre, quamquam eandem, relicta Christiana pietate, nefandissimam Mahumeti hæresim superstitione nimia sequantur; non omnibus tamen eadem fuit ad hanc impietatem via, non eadem est vivendi ratio, non eadem re-

Append. Annal. Camald. Tom. VIII.

gnandi conditio, non unum idemque Imperium, non unus Princeps; sed quantum nos ipsi cognoscere potuimus, hujus hæresis alii sunt, qui passim ab omnibus Turcæ, alii, (vulgaribus utemur vocibus) qui Mauri appellantur, non nominibus tantum, sed rebus etiam ipsis ab invicem diversi, quibus, præter impiissimæ superstitionis observantiam, nulla pene est communicatio, cum & diversas Orbis partes occupent, diversa Imperia habeant, diversamque penitus regnandi rationem, & præter hæc ita moribus, animisque male conveniant, ut ingentia inter utramque gentem bella quam sapissime exercent, utriusque tamen gentis illud commune est, quod in earum utraque alii sunt in ea hæresi pati, & illorum locorum, quæ habitant, vere indigent, qui ex impiis parentibus orti nullum Christianæ Fidei Sacramentum susceperunt, Turcæ, ac Mauri propriis eorum appellationibus nominati. Alii vero, qui Christianis parentibus geniti, sacrosanctæque Christianæ Religionis lavacro suscepto a teneris annis, ab ipsis parentibus aut vi, aut fraude sublato defervire, & hæresim illam sequi instruuntur, quamquam & multi sint, qui nefanda quadam impietate agitati, ex Christi Fide, quam nec intelligere pro cordis eorum duritia, neque operibus servare pro eorum immunditia poterant, maturioris ætatis sponte prope jam sese in hoc infidelitatis barathrum projiciunt, hos omnes apud Turcas Janizeros, apud Mauros Mamaluccos vulgari sermone vocari audivimus. Commune autem est utrisque Dominis inservire, & arma tractare. Janizeri enim apud Turcas peritissimi sunt milites; Mamaluchi vero apud Mauros non solum militiam omnem exercent; ita ut arma tractare illis, qui vere Mauri sunt, non permittant, verum etiam ex eorum numero is semper eligitur, qui supremam totius gentis illius potestatem habeat. Nam sicut omnibus his, quos Turcas vocamus, unicus est Imperator, qui neque electione, neque sorte aliqua deligitur, sed per legitimam successionem ad Imperium accedit, neque ex alia, quam ex Ottomanorum Familia esse permittitur, ita opposita fere ratione, qui Maurorum Sultanus (sic enim Imperatorem appellant) futurus est, hic ex eorum numero, qui Christianis sint ex parentibus orti, & baptismum susceperunt, esse oportet, & nisi sæpius etiam venundatus pluribus Dominis inservierit, ad eam dignitatem minime idoneus est promovendi, neque aliqua apud eos Regni successio reperitur.

ff

peritur

peritur, sed uno mortuo alius, qui propria potestate, aliorumque consortium favoribus sit potentior, ad hujus gentis imperium, non votorum suffragiis, sed armorum potius vi deligitur. Turcarum autem gens major, potentiorque Mauro- rum gente existimatur; quippe quoniam ampliora potentioraque Imperia sub Tur- carum sunt potestate, apud quos non solum, qui Christianis sunt ex parentibus orti, sed omnes pariter, qualescumque fuerint, armis exercentur, ad bellaque sunt idonei; apud Mauros vero illi solummodo, qui post Baptismum ad eam impietatis haresim accesserunt, quos & servos esse, & Mamaluccos vocari diximus, arma & bella sic tractare consueverunt, ut indigenis, & qui ex ea sunt haresi orti, neque arma contingere, neque domi habere, neque equos ascendere permittant; sed miserabili quadam servitute oppressis, aut otio, delictisque, aut mercatura illis vacare proprium est; unde fit, ut Turcarum Imperatori facile sit, cum voluerit, innumerabilem pene virorum multitudinem ad bella armare; Maurorum autem Sultano, sic ab eis appellato, exercitum quindecim virorum millia vix habere liceat. Præter enim hos, qui Mamaluchi dicuntur, alios nequaquam milites habent. Hi vero ad eum, quem diximus numerum, aut raro perveniunt, aut nunquam. Vides, Pater Beatissime, quantum gens distet a gente, quam diversa regnandi ratio, & quam dispar sit in utraque hominum conditio. Valde autem ab utraque eorum diversa tertia quædam hujus vanissimæ, impiissimæque superstitionis gens est, eorum scilicet, qui Reccabitarum more, neque Civitates incolunt, neque domos habent, sed in tentoriis, in tabernaculis cum uxoribus, filiis, gregibus, & armentis inhabitant. Hæc ferocissima gens est, quæ neque ferere, neque arare, neque potare unquam didicit, sed nihil aliud omnino, quam arma tractare, furari, ac rapere novit. Hi Arabes propterea fortasse appellantur, quoniam eorum maxima pars Arabiæ montes occupat. Non unus illis Imperator, non unus est Princeps, sed ut quisque aut ingenii virtute, aut alia est ratione potentior, sic aliquorum Principem se ipsum facit, qui tamen potentioribus etiam Principibus subesse & obtemperare novit. Hi si quando in unum cogantur, ad multa virorum millia accedunt, ita ut legitimum Maurorum Sultano bellum inferre non dubitent, neque ipse Mauro- rum Imperator hanc gentem unquam de- dere potuit, quamquam id sæpius efficeret

omnibus viribus, & extraneis etiam ac- citis auxiliis ipse tentaverit; quod iis, qui Romanorum voverunt historias, nequaquam mirum esse deberet; quoniam nec ipse Pompejus, qui primus hanc gen- tem est persecutus, neque alii Romani Imperatores, vel quando eas Regiones cum pace regebant, vel quando cum Ju- dæis bella gerebant, hanc latruncularum gentem delere potuerunt. Quamquam autem ipsi ea tempestate Mahumetis cul- tores esse non possent, quoniam non ad- hac illa bellua exorta fuerat: hanc ta- men latronum multitudinem absque civi- tate, absque firma sede Arabiæ montes illi incultiores semper habuere, ita ut ex ea Reccabitarum antiquissima progenie omnes illos, quos nunc Arabes vocamus, facile descendisse credamus. His tribus adeo inter se diversis ejusdem superstitionis gentibus, quartum postremo genus adjicitur, non minus & in his, quæ ad Religionem, & in his, quæ ad morum concordiam spectant, ab illis diversum. Hujus autem generis homines, cum plu- rima Christianæ Fidei suscipiant Sacra- menta, Christum potius, quam Mahume- tum colere videntur; quamquam ipsi nec veram Christianæ Pietatis Fidem recipiant, neque Mahumetis nefandam deserant su- perstitionem. Hi sunt, qui sub nomina- tissimo, potentissimoque Persarum, at- que Medorum Principe Sophi ab omni- bus nuncupati militantes, maxima contra Turcas, & alias gentes bella his præte- ritis annis exercuisse, Persiam, Mediam- que, & alias regiones subegisse dicuntur, quorum ineluctum ducem Sophi communi vocabulo nuncupatum, sapientissimum, victoriosissimumque esse Juvenem, & qui se Christianis hominibus amicissimum pro- fiteatur, ab omnibus passim audivimus. Hæc autem omnia, quæ ad aures usque nostras pertingunt, quæque Tibi notissi- ma apertissimæque fore non dubitamus, Sanctitati Tux commemorare voluimus, non quod aliquid eorum, quæ diximus, Te nescire existimemus, (absit enim hæc a nobis insana cogitatio) sed potius con- sulto hæc ad Te scribere decrevimus, ut mirari nemo possit, qui hæc ipsa audie- rit, si in tanta hujus iniquæ gentis di- visione, atque diversitate facilem Tibi Victoriæ futuram speramus. Nam si qua- tuor, quæ numeravimus infidelium gene- ra, Turcæ, Mauri, Arabes, & qui ma- gnum Persiæ Regem sequuntur, in unum convenire possent, omnesque simul a Chri- stianis Principibus essent impugnandi, minime Tibi de victoriâ dissidendum es- set, quoniam præter Divinum Omnipoti- tentissi-

centissimi Salvatoris Jesu Christi auxilium, humanæ adhuc Tibi, si modo Christiani Principes invicem convenire voluerint, ad gentem hanc abolendam, penitusque destruendam satis abunde suppetunt vires. Cum vero hæc una infidelium multitudo in multas jam divisa gentes sit, quibus nulla est inter se communicatio, nulla concordia, sed odia, inimicitia, ac bella potius intercedunt, mirari quis poterit, si certissimam Tibi, Christianisque omnibus non voluerit victoriam permittere. Et quamquam hi omnes pro communi eorum impietate armis merito essent oppugnandi, non omnes tamen simul Te judicare credimus, nunc armis aggrediendos fore; sed pro eorum diversitate, diversa a Te aut conversionis, aut subversionis illorum, si id minime non poteris, opportuna remedia excogitare. Quorundam namque non sic omnino desperanda conversio est, ut penitus intentata relinquatur. Cum enim omnes Christum, tamquam Dei halitum ita honorare, ita laudare, ac prædicare soleant, ut etiam Christi nomen blasphemantibus atrocissimæ mortis poena sit constituta, facile certe esse poterit, hos, aut horum quamplurimos ad Christi veritatem convertere, si modo ipsi audire paterentur, & nos illis Christi Fidem prædicare parati essemus. Sed impurissimus ille Mahumetus, qui nulla ratione illam, quam tradebat, superstitionem constare, facileque rationibus subverti posse intelligebat, illud præcipuum sectatoribus suis mandavit, quod falsæ superstitionis ejus dogmata, non rationibus, sed potius armis defenderent; Et si qui contra eam loqui auderent, tamquam maximum nefas attentati fuissent, nequaquam vivere permetterentur. Hoc si lex non obstaret, de omnium conversione, aut certe de majori eorum parte non esset omnino desperandum. Sed cum palam omnibus prædicare Christum, Christianam Veritatem proponere, superstitionis illius vagitatem aperire non liceat, quis prohibet, Beatissime Pater, illum Persarum Regem (ut ab eo, quem postremum numeravimus, nunc incipiamus) qui se Christum potius, quam Mahumetum colere glorietur, qui Christianum nomen non solum non abhorre, sed & quam maxime honorare solet, per sapientissimos, dignissimosque viros, quorum Tibi tanta copia est, suasionibus, pollicitationibusque sollicitare, qui de Christiana etiam veritate illum instruant, Fideique pietatem persuadere conentur? Audire enim ipse non recusabit. Et si Christianorum Prin-

Append. Annal. Camald. Tom. VIII.

cipum omnium nomine, auxilia ad expugnandos Turcas sibi inimicissimos hostes peterent, si rationibus, suasionibus, ac apertissimis documentis sibi arcana Religionis nostræ panderentur, surdas fortasse non averteret aures. An quoniam longe a nobis abest, negligendus omnino est? An quoniam minus hæc forsitan profutura timemus, idcirco nullo sunt modo attendenda? Siccine Apostoli Sancti impios Tyrannos, idolorum cultores, aut negligentia, aut timoris causa minus adoriebantur? Hæc aliis fortasse, quasi insipientium hominum deliramenta videri poterunt, dicentque, qui hæc a nobis audierint: vestri illi recessus, vasta illa eremi solitudo vos ad insaniam redegerunt. At Tu, Beatissime Pontifex, qui de Domini auxilio nunquam diffidere didicisti, quique Pontificis præcipuum munus esse, semen Divini Verbi spargere, plantare, atque irrigare, deque ejus incremento curam Deo relinquere nunquam dubitasti: jam quos ad hunc Principem summos auctoritate, sapientia, atque doctrina viros possis mittere, cogitare cepisti, qui & ad Fidem Christi illum adhortari, & contra impios Turcas, hostes non suos minus, quam nostros incitare valeant. Neutra enim parvifacienda causa est. Nam si uni huic homini vel veritatis ratione, vel latius & regnandi ambitione Christianam Fidem suscipere persuaderi omnino potuerit (quod facilius tanto fieri posse sperandum est, quantum ipse Christianum nomen habere, & Christiana plurima Dogmata suscipere gloriatur) considera tu Pater, quot animarum millia Christo lucratus eris. Principe enim Fidei nostræ veritatem suscipiente, omnes, quæ sub eo sunt, innumerabiles populorum multitudines eundem ritum, fidemque eandem suscipient; Quoniam inclitum hunc Persarum Regem populi sub eo degentes adeo colunt, ac venerantur, ut maximum nefas putarent, si eum, quem summopere diligunt, in omnibus non sequerentur. Si vero id illi minus persuaderi poterit, quid Tibi unquam obesse potest contra Turcas, quos ante omnia Te oppugnare velle existimamus, ejus auxilio uti? Et quamquam ipse in infidelium adhuc numero censeatur, non videmus, cur Christiano exercitui, quem Te jam contra Turcarum gentem parare credimus, non maximo auxilio sit futurus. Dum enim Christiani ex una parte Turcas aggredientur, & hic potentissimus Rex ex altera eos oppugnare ceperit vindicaberis Tu quidem Beatissime Pater de inimicis tuis. Ad eum vero contra Turcarum potestatem

[f i]

testatem

testatem incitandum nullus omnino labor est futurus, cum ille hujus infidissimæ gentis inimicissimus sit, & jam multa inter utrosque bella peracta ad nullam eos concordiam venire permittant. Et qui ex semetipso ad oppugnandas has gentes avidissimus est, qualem futurum speramus, si & rationibus incitetur, & Christianos omnes illi auxilio futuros maximis viribus polliceatur? Quare non irridenda sunt a Te hæc ipsa, quæ scribimus, quippe qui multo etiam antè cogitaveris Principis hujus conditionem maximam Tibi occasionem præbere, vel ad suæ gentis conversionem, vel ad Turcarum omnium subversionem, si modo non desint Tibi, qui desse non possunt, sapientissimi, prudentissimique viri, qui a Te missi hæc prudenter apud eum tractare valeant. Hoc autem consilium, qui pro eorum publicanimitate approbare non poterunt, quid dicturos existimamus, cum Te majora, magisque ardua attemptentem, non ad hunc Principem modo, de quo spem bonam concipere possimus, sed ad magnum illum Maurorum Imperatorem, quem Sultanum vocitant, de cujus conversione nulla forte hominibus nostri temporis spes est reliqua, viderint Legatos, Oratoresque, atque cum iis viros peritissimos destinare, ut ad rectam Christianæ Fidei veritatem eum redire rationibus, manifestisque suasionibus persuadere possint. Neque certe mirari decet, si & hoc dignum quidem Sapientia, ac Dignitate tua consilium minus probaturi aliqui sint, cum Sapientes Mundi hujus, qui se sapientes cum dixerint, stulti omnino facti sunt, divina etiam consilia in rerum creatione, aut dispensatione sæpe minus approbare consueverint. Multi enim sunt, qui quæ ipsi non viderint, aut non intellexerint, qua fiant ratione, ea a nemine videri, & frustra fieri arbitrantur. Tu vero Beatissime Pontifex pro Sapientia tua hujuscemodi hominum judicia, ut semper consuevisti, parvifaciens, altiori mentis consideratione, huic, quem diximus Maurorum Imperatorem respiciens, deque ejus conversione non desperandum existimans, ad eum idoneos pro hoc munere obeundo Legatos mittes. Quid enim magis desperandum videbatur, quam Romanos olim Imperatores, aliosque Reges Terræ idolorum cultui servientes ad Christi Fidem evocate, & hoc nihilominus Domino auxiliante factum vidimus. Nam qui impugnare, destruereque Christianam Religionem modis omnibus conabantur, ipsi hanc eandem postmodum Fidem susceperunt. Nunc autem, cum idem Do-

minus sit, qui omnes homines vult salvos fieri, nunquid & Tibi, si modo pia intentione, rectoque Fidei nostro zelo res hujuscemodi attentaveris, ea negaturus est auxilia, quæ Principibus aliis, qui & homines ipsi fuere, largissime tribuit? Nunquid latere sapientiam tuam potest, magnam, ad hujus Principis conversionem attendendam, sperandamque, occasionem Tibi præbere, quod non ille, qui penitus Christi nomen nunquam cognoverit, Christianam Religionem suscipere persuadendus sit; sed ille potius, qui Christianis ex parentibus ortus, Christianæque Fidei maximum illud sacræ ablu-tionis Sacramentum suscepit, & plurimos fortasse annos Christianam secutus est Religionem, ad Christum, quem impie dereliquit, pie est revocandus? Non possumus enim exilimare illum, aliosque omnes, qui a Christo post baptismum recesserunt, non sapius pia domini dispensatione inter arcana pectoris de conversione sua aequaliter stimulari. Adde, quod hunc Christianam Fidem reliquisse, Mahumetis impietatem rationis examine suscepisse, quod scilicet plus veritatis, & pietatis in ea esse superstitione, quam in vera Christi Religione ratione aliqua, aut judicio approbaverit, nequaquam est suspicandum; Sed certe a Christo ad Mahumetis superstitionem vel ignorantis cecitate, vel dominandi aviditate conversum esse credimus. Quod si ignorantia veritatis hoc factum esse censebimus, quid magis Apollonica curæ congruum, quam ignorantia aberrantem in viam veritatis, admonendo, docendo, observandoque reducere? Si vero regnandi ambitione ad eam impietatem accesserit, facilius etiam futura Tibi ejus conversio est. Cum enim nullus sit, qui proprios filios divitiarum, honoris, Regni que successores relinquere non majori desiderio ambiat, quam ea ipsa possidere; hic autem, si in ea, quam suscepit, perversitatis hæresi, permaneat, nullam filiis suis Regni successionem sperare omnino possit: quid facturum eum credimus, si tu Summus Christianorum Pontifex, cujus maxima est apud externas etiam Nationes existimatio, maxima illi auxilia polliceri ceperis, ad Regni ejus in filios successionem, & nepotes statuendam? An ille, qui ut regnaret, Christum pro Mahumeto deserere non timuit, ut filiis, & nepotibus idem Regnum firma successione relinqueret, Mahumetum deserere, & ad Christum redire formidabit, si modo illi Christianorum auxilia ad successionem hujuscemodi Imperii ejus firmandam,

dam, ampliandumque Regnum polliceatur? Quæ quidem auxilia, si ad Christum convertatur, Te illi promissurum fore minime dubitamus. Converti vero ad eum per facile poterit, quem fortasse intrinsecus colere, adorare, & Deum verum confiteri non cessat, quamvis exterius perversam Mahumetis perfidiam sequatur. Multos enim ex ea gente homines esse audivimus, aliquos etiam cognovimus, qui Christianam pietatem intra pectoris sui secreta custodiunt, ut lapsius Christum Jesum deprecari soleant, ut ab illa impia, quam sequuntur, hæresi eos liberare dignentur. Fie enim in illis, quod & in nobis fieri sentimus, ut cum in aliquem vitiorum laqueum incidimus, liberari cupimus, oramusque, & cum nos ipsos liberare possimus, id facere nolumus. Hoc multis eorum evenit, ut cum infidelitatis, impietatisque laqueum, quo tenentur, non ignorent, ad Christum redire cupiant, Redire tamen aut timore, aut propriæ dignitatis amore, aut misera consuetudine alligati non audent, ita ut, quod maxime cupiunt, idem omnino nolle videantur. Quod si talem Principis hujus animum invenies, quid difficultatis futurum est, ut, Te rationibus suadente, pollicitationibusque maximis alliciente, ad Christum palam convertatur, si tuo, Christianorumque omnium auxilio conversus cum fuerit, regnum suum confirmare, ampliareque, & filiis suis, nepotibusque legitima successione relinquere speraverit. Quæ vero de gentis hujus Principe diximus, eadem omnia de principalibus apud eum viris affirmare possumus. Quoniam & ipsi, & omnes, qui in eo Regno alicujus sunt existimationis, Christiani fuerit, sacrique fontis baptismatis participes; & dummodo eundem apud Principem locum sint habituri, quem nunc habent, facile illis erit ad Fidei Christianæ conversionem eorum Principem sequi, illis fortasse ex eis dumtaxat exceptis, qui ad summam Imperii dignitatem ambiunt. Hi enim de Regni successione minus cum Principe convenire posse existimabuntur. At vero si eis dominia Civitatum, quæ illis a summo eorum Principe cum nulla spe, nedum successione, sed neque firmitatis traduntur, firma, & quæ filiis suis per successionem sint duratura promittantur, nonne & ipsi libentissime conditionem suscipiant? Qui vero, si etiam expugnata Turcarum gente aliqua ejus Imperii pars his, si conversi fuerint, polliceatur, nonne sponte ad Christum convertentur? Principe vero, principalibusque ejus viris conversis, nonne

universa Maurorum gens Christum suscipiet? Nam omnes ex hac gente, qui Mameluchi nuncupantur, Imperatoris, & reliquorum, qui sub eo Principum servi sunt, Christiani & ipsi cum fuerint, cumque etiam multi eorum intra occulta pectoris Christianam quoquo modo pietatem servent, nonne statim Dominos insequentes, ad Christum revertentur? Qui vero ex ea hæresi orti sunt, impiisque progenitoribus nati, infidelium locorum, & veri indignæ illius superstitionis alumni, quos proprie Mauros appellari diximus, difficilius fortasse converti posse existimabuntur. At vero, si quæ sit in omnibus illis hominibus illius, cum qua nascimur omnes, naturalis justitiæ observantia: signorum est enim super homines lumen vultus Domini, quo judicia ejus in semetipso justificata conspiciuntur, quam illi miro quodam modo conservare videntur, justitiæque Dei appellant, contra quæ aliquid nec facere audent, neque promittere possunt: si quæ sit etiam in ea hæresi de Christo opinio, quæ maxima sane est, considerare voluerimus, non adeo difficilem ejus gentis conversionem existimabimus; Quæ quidem, si audire Christianam veritatem pateretur, nullo labore, nulla difficultate ad illam converti potuisset. Christum enim maximum non solum Prophetam, sed Dei halitum, natumque ex Virgine profitentur: nullam legem Christi Evangelio nedum præferendam asserunt: verum Christi nomen honore maximo prosequuntur; ita ut iis, qui illum blasphemaverint, sævissima mortis sit poena constituta. Ipsum vero tanto minus mortuum credunt, quanto magis Dei halitum existimant; maximeque Christianam veritatem in hoc aberrare suspicantur, quod Christum Dei Filium, verumque proinde Deum, & mortuum fuisse credimus. Non enim intelligere valent, quomodo & Deum esse, & mori potuisse dicamus. Quæ si illis, ut facile posset, declarabuntur, pedibus, manibusque, ut dici solet, in Christianam venient veritatem. Imperatore vero earum gentium, & iis, qui dominantur conversis, quibus prohibere ulterius Christi prædicationem, veritatisque declarationem poterunt? sed & illud etiam eveniret, ut, nemine prædicante, si illi, qui dominantur, qui scilicet post baptismum ad eam impietatem accesserunt, converterentur, tota gens reliqua Fidem susciperet. Verum enim vero quid pergitur piæ Sanctitatis tuæ aures his sermonibus ulterius obtundere, cum potissimum hæc, quæ diximus, omnia paucis verbis perstringi possint? Nil

hil enim aliud his suasionibus dicere volumus, quam nos existimare Te, priusquam contra Turcas Christianorum Principum exercitum ducas, jam excogitasse, duos hos maximos Mahumetanæ gentis Principes, quorum alter Christi nomine gloriari solet, quamquam Christi fidem non sequatur: alter vero Christianus cum jam fuerit, maximumque Christianæ Fidei Sacramentum susceperit, Mahumetanæ superstitionis caput se esse aserit: per Oratores, Legatos, Nuntios, viros scilicet Dignitate, Sapientia, Virtute, Sanctitateque præditos adire, ut per illos, si his Principibus persuaderi Christiana veritas possit, in omnes ipsis subiectos populos Christi Nomen diffundatur; Aut si id minus facere poterunt, eos Principes incitare, & contra Turcarum Imperatorem commovere, aut secum saltem convenire, ne illi auxilio sint futuri, cum a Christianis impugnari ceperit. Hæc omnium summa. Neque enim existimare possumus Te contra perfidam savissimamque Turcarum rabiem arma ante capere velle, quam horum duorum potentissimorum Imperatorum animos attentaveris, si vel ad Christum converti acquiescant, vel Turcis bellum una Tecum inferre velint, vel Te inferente, arma contra Te non sumere polliceantur. Magni enim momenti hæc habenda esse judicamus, in utram partem vertantur, ad eam, quam Te omnino contra Turcarum gentem parare expeditionem credimus. Vere enim eorum, quæ Te pro pastorali Tibi jam demandata cura facturum judicamus, illud maximum, præcipuumque omnium existimamus, non contra omnes simul Infidelitatis Mahumetanæ sectatores, sed contra Turcarum gentem, contra scilicet potentissimos eorum, & in perfidia pertinaciores, quos nulla alia ratione, quam armorum vi adire facile potes, & quos etiam nostræ non Fidei modo, sed & libertatis inimicos nunc maxime sentimus, nostrisque cervicibus imminere cernimus, maximum & potentissimum Terra, Marique Christianorum omnium exercitum, quanto citius pro rerum magnitudine fieri possit, instruere. Neque Te differre hoc velle arbitramur, cum nunc & armatos, ad bellaque paratos Christianos omnes habeas, & illi in speratæ fraternæ cladis novitate inter se quam maxime dissentiant. Hæc enim ad expeditionem accelerandam Te invitant. Nam dum fratres de Regno maximis odiis pugnant, aut dum fraternæ discordiæ quædam adhuc reliquæ supersunt, si Tibi partem eorum imbecilliolem conjungere curaveris, faci-

le potentiolem expugnabis. His vero expugnatis, nisi converti ad Fidem & illi acquieverint, imbecillioris facilior erit expugnatio. Neque hoc fraudis nomine refugiendum est contra Fidei hostes, qui iisdem artibus totam Græciam (male inter se convenientibus, qui imperare debuerant) Christianis abstulerunt. Unica Tibi hæc Turcarum gens, hoc tantum hujus gentis imperium abolendum est. Quoniam hoc, quod potentissimum infidelium genus est, destructo, nullus Tibi labor futurus est, reliquos omnes hujus perfidiæ sectatores, aut ad Fidem revocare, quod maxime optandum est, aut pro Christianæ pietatis zelo a facie universæ Terræ abolere. Nunquid superato maximo, potentissimoque divitiis & numero virorum, bellandique peritia Turcarum Imperatore, poterit Tibi Maurorum Princeps cum parvo fervorum ejus exercitu resistere? Nunquid audebunt illi Latrunculorum Principes contra exercitum tuum Turcarum victoria gloriosum stare? Nunquid Princeps ille Sophi, qui Turcarum impietatem detestando, magnam sibi auctoritatem acquisivit, maximamque hominum multitudinem adjunxit, contra exercitum Christianum ipse, qui Fidem Christianam extollit, pugnare vellet, aut si pugnaret, resistere ullo modo poterit? Nunquid nam illi Reguli, qui Africæ littorales Regiones occupant, resistere Christianis viribus poterunt, quibus unus tantum ex Christianis Principibus Regna solet auferre, quos & sic parvifaciendos diximus, ut in ea, quam superius prosecuti sumus, Mahumetanæ gentis divisione, eos connumerare noluerimus; tum quoniam & parva eorum potentia est, & ab aliis hominibus pene toto orbe divisi sunt; tum maxime quoniam in eorum expugnatione, non Christianorum modo exercitum, sed Sanctæ Ecclesiæ solummodo exercitum, si Hispaniæ Regibus jungatur, sufficere posse existimamus? Unum igitur solum Mahumetanæ gentis est imperium, quod totis Christianorum viribus, nunc maxime civili bello labefactatum, ad desolationem paratum sese præbeat, aggrediendum esse credimus. Hoc ipsum Turcarum Imperium si superaveris, de tota infidelium gente actum esse dicere possumus. Nullus enim erit, qui aut audeat deinceps, aut possit Tibi resistere. Ad hoc vero Turcarum Imperium expugnandum, gentemque impiissimam delendam, maximo Tibi auxilio futuram est, si aliquem, aut plures ejusdem infidelitatis Reges, ac Principes vel ad Fidem convertere poteris, vel ad inferendum tecum

Turco

Turco Imperatori bellum, vel saltem ad nullum praestandum illi auxilium persuaseris. Persuadere autem si poteris, nemo scit, nisi opportuno congruoque ordine per idoneos viros attentaveris. Hæc omnia, quæ diximus, antequam exercitum contra hos ducas, attendenda censemus, ut majori spe, & alacritate Christiani milites ad bellum accedant; In quo tanto firmius victoriam se consequuturos credent, quanto Tibi plura & infidelium auxilia conjunxeris; quamquam sine externo auxilio satis superque virium Christianis Principibus inesse certissimum est, si modo singuli Christianorum Principes tantum Tibi ad expugnandos infideles exercitum præbeant, quantum, cum inter se pugnatu sunt, parare consueverunt. Si enim ex multis Christianorum Principum exercitiis in unum convenientibus, exercitum unum constituas, non Turcarum Imperatores, non omnes infidelium Principes, non orbis universus illi resistere ullo modo poterit; & Sanctæ Ecclesiæ exercitui si Italiæ solum vires conjunxeris, tantum contra Turcas Terra, ac Mari exercitum, Classenque traducere poteris, ut nequaquam ea gens, quamquam ferocissima sit, Tibi resistere audebit. Quid futurum non sit, si Italiæ viribus, Gallorum, Germanorum, Hispanorum, Britannorum, Pannonum, Helvetiorumque potentias pro tua maxima Sapientia conjunxeris, nemo est qui non videat. Si enim has Nationes, quarum singulæ, si omnibus viribus suis utantur, ad profligandos Turcas sufficere possunt, omnes simul, aut aliquam saltem cum reliquis Italiæ, Sanctæque Ecclesiæ viribus conjunxeris, nonne die soleque clarius victoriam in manibus tuis videre etiam hebetes possunt? Sed præter Regum, Principum, & aliarum potentiarum publicos exercitus, cum semel Te contra infideles pugnatu esse publicis iudiciis declaraveris, & his, qui Tibi auxilio futuri sunt, sanctamque hanc expeditionem aut armis, aut divitiis adjuverint, Indulgentiarum, ut fieri solet, larga munera contuleris: videbis profecto privatorum hominum ex omni Provincia, ex omni Christianorum Provincia, & Regione tantam ad Te accedere propriis stipendiis militaturam multitudinem, ut eo solo exercitu pro numero, virtuteque militum superatum Te impiam illam gentem, sperare merito possis. Ut enim reliquos, qui pietatis zelo ad hæc se paratos offerent, taceamus, ex his solum, qui sacram Religionem professi sunt, ex omni scilicet Religiosorum hominum conditio-

ne, si id modo tu consenseris, aut imperaveris, multa millia fortissimorum hominum habebis, qui, quod minus exercitatione posse existimabunt, fervore Spiritus, Fideique ardore strenuissime proficient. Cernes præterea eos, qui minus ad pugnam idonei sunt, imbecilles scilicet viros & mulieres, & cæteros, quibus aut longior ætas, aut familiarium rerum cura, aut alia causa ad capeffendum arma impedimento est, tantas in tuo ærario pecunias conferre, tot Thesauros Sanctissimæ Ecclesiæ elargiri, ut illis solum innumerabilem possis virorum armare, alereque multitudinem. Cum vero exercitus partem aliquam movere jam ceperis, nulla est futura Christianorum natio, nulla civitas, nullum oppidum, nulla denique domus, quæ pro viribus Tibi auxilia non libenter, atque magna cum læticia subministrat. Et qui pro paupertatis eorum exiguitate, quod afferant, non habebant, Orationibus Te, piisque vocibus prosequuntur. Accurrent ad Te ex omnibus Regionibus, per quas exercitum, aut classem ducere decreveris multa undique auxilia, & ut reliqua omnia taceamus, ea solum Græciæ pars, quæ Christianis adhuc reservatur, maxima certe Tibi & terra, & mari auxilia subministrare poterit, & pro Religionis zelo, & pro gentis illius odio, id minime dissimulabit. Reliquas præterire insulas possumus; Rhodum vero prætermittere non possumus, quæ, quamquam minime, aut numero virorum, aut divitiis contra eam gentem sufficere possit: animorum tamen virtute, bellicæ exercitatione tantum valet, ut cæteris omnibus Christianis aut otio languescentibus, aut impiis odiis sese invicem læscentibus, atque dilacerantibus, ipsa sola adversus totum Turcarum Imperium continuè bellis pugnare audeat, & nunquam sine victoria pugnare consuevit. Si enim cæteri omnes Christiani Principes, singuli pro viribus suis, sic Turcis indefessi hostes sese præbuisent, ut ea una insula semper præbuit, nequaquam tantum impia illa gens crevidisset, sed & omnis hujuscemodi pestis multo jam tempore de medio ablata esset; quæ non satis ampla, neque multum hominibus, aut divitiis abundat, una Insula contra Turcas bellandi provinciam sustinere audet. Et Tu Sanctissime Pater, cum omnium Christianorum multitudine, & innumerabilibus divitiis eandem provinciam suscipere dubitabis? Postremo vero loco, ut quod omnium maximum, præcipuumque est, recensamus, cum semel pugnare Christianus exercitus ceperit, min-

mumque

mumque aliquid Christianæ victoriæ si-
 gnum apparuerit, centena millia millium
 Christianorum, qui in illis Turcarum Im-
 perio subditis Regionibus vivunt, excita-
 buntur, armaque, quibus minime egent,
 assument. Et dum tuus pugnare adver-
 sus illam gentem parabit exercitus, jam
 ab illis citius, quam credi potuisset, to-
 tum confectum negotium aspicias. Illi
 enim tum Religionis & Libertatis amo-
 re, tum propriarum animarum neglectu,
 si semel exercitum tuum intuentes insur-
 gere contra Tyrannum illum pessimum
 audebunt, ita pugnaturi sunt, ut nullus
 omnino ex tota illa gente reliquus futu-
 rus sit. Adeo enim illis miserum est in-
 ter impios Religionis hostes in extrema,
 miserabilique servitute vivere: ita gentis
 illius occulto, sed tamen magno odio fer-
 vent, ut pro Religione, pro libertate,
 pro multarum injuriarum vindicta, pro
 ingentium odiorum sibi exstercanda, mi-
 nima quæque victoriæ spes excitare eos
 ad pugnandum possit. Satis excitati vero
 eo impetu, eo fervore, ea audacia pugna-
 turi sunt, ut unusquisque eorum pro plu-
 rimis futurus sit. Intestino autem, fami-
 liarique inimico excitato, neminem certe
 illius gentis evasurum speramus, illis
 namque maxime, qui a tam miserabilis
 servitutis asperissimo jugo ab eo Tyranno
 Mahometicæ impietatis potentissimo pro-
 pugnatore tot jam annis premuntur, vin-
 dictam reservari a Domino credimus, cu-
 jus semper ex alto auxilium Tibi affutu-
 rum, non vaticinandi ratione, sed Fidei
 veritate polliceri possumus; Quamquam
 hæc omnia, quæ connumeravimus, nihil
 aliud, quam magna, quæ Tibi præstan-
 tur auxilia, esse credamus; A quo etiam
 unum aliud Beatitudini tuæ conceditur,
 quod Te multum super omnia hæc exi-
 stimare censemus. Quid enim tot habe-
 re exercitus, tot pecunias, tanta exter-
 narum gentium, tanta fidelium auxilia
 prodesse possent, si qui hæc moderaretur,
 regeretque, deesset? Cum enim Te pa-
 storali officii sollicitudo, Ecclesiæque Ro-
 mana non parva, neque parvifacienda
 negotia, Lateranense jam celebrari ce-
 ptum Concilium, quod Te prosequi vel-
 le non dubitamus, fidelium omnium cu-
 ra a Romana Urbe, ab Apostolica Sede
 longius discedere non facile permittant,
 ille, qui nihil Tibi omnino ad hæc ma-
 gna, aliaque majora conficienda deesse
 voluit, alterum Teiplum Tibi tribuit Ju-
 lianum, Maximum, magnanimum, vere-
 que magnificum Fratrem tuum, quem
 non nisi ad maxima hujuscemodi natum
 credimus. Hic enim cum & consilio, &

supra

rerum prudentia polleat, & animi forti-
 tudine, atque incredibili virtute præter,
 Fideique pietate ferveat, & nullos pro
 Religionis zelo labores suscipere, ulla
 pericula subire formidet; Et ut virtutum
 ejus, quæ numerari per singula non pos-
 sunt, summam paucis verbis concluda-
 mus, cum Tibi in omnibus persimilis sit,
 nihil aliud in hac vita optare videtur,
 quam Christiana arma contra impios Chri-
 sti hostes primus omnium movere. Hic
 Tibi a Domino, qui cuncta Divina Sa-
 pientia moderatur, præparatus est, ut Tu
 a Beata illa Apostolorum Sede non disce-
 dens, neque pastorem Fidelium sollici-
 tudinem relinquens, alterum Te habere
 possis, qui intrepide omnia, quæ contra
 infideles illas nationes agenda decreveris,
 committere valeas, ut sic & Fideles Leo-
 nem Summum Pontificem in Apostolica
 Sede residentem habeant, & Infideles Leo-
 nem alterum Summi Pontificis Fratrem
 Julianum, contra se exercitum ducen-
 tem, pugnantemque sentiant. Quæ vero
 sit Viri illius præstantia, Tu Beatissime
 Pater, optime intelligis, scisque nihil
 omnino tam magnum, tam arduum com-
 mitti Juliano posse, quo ipse multo ma-
 jor animi virtute, sapientia, & fortitudi-
 ne non inveniatur. Tacemus Julium reli-
 giosissimum, prudentissimumque virum
 consobrinum tuum, aliosque plurimos,
 quos Tibi paratos a Domino ad hæc ne-
 gotia perficienda Te cognoscere non du-
 bitamus. Cum igitur ea omnia præparata
 Tibi sint a Domino, quæ ad hanc expa-
 ditionem optare Tibi potuisses, non est,
 cur minoribus Te occupari permittas, aut
 differre hoc maximum a Domino Tibi
 oblatum negotium pariaris. Et quamquam
 dici solet minime auferri, quod differ-
 tur; veritatem tamen illam Poetæ sen-
 tentiam credimus: semper scilicet nocuisse
 differre paratis. Nam cum sæpe sæpius
 opportuna se nobis offerat occasio, si in
 aliud tempus differatur, eam a nobis auf-
 ferri videmus. Quando enim Tibi, ut
 cætera omnino taceamus, contingeret, ar-
 matos jamjam instructosque Christianorum
 omnium Principum exercitus habere, &
 hostes de Imperio inter se dissidentes in-
 venire? Quoniam autem & Christianis
 pacem, quam citius fieri potest, Te red-
 dere velle credimus, & has paratas Ti-
 bi a Domino occasiones nequaquam amit-
 tere: utcumque rebus Italiæ compositis
 (nulla enim iniqua conditio est, qua no-
 bis ad majora, melioraque perficienda oc-
 casio præstatur) absque dilatione exer-
 citus, Classesque Christianorum Principum
 contra impios hos Christianæ Fidei, Chri-

stia.

stianæque Libertatis hostes Te miserum iudicamus.

Post hujus vero gentis expugnationem, post Mahumetanæ penitus perfidiæ destructionem majora multo, non tamen difficiliora Tibi supereffe negotia conspicimus. Destructo enim, dissipatoque hoc infidelium Nationum pariete, qui inter Te, & eos Christianos, qui minus nobis cogniti, extremas Asiæ, Africæque regiones incolunt, medius interpositus viam Tibi ad eorum salutem curandam intercludere videbatur, major cura, novusque rerum ordo suboritur. Cum enim, ut superius commissum Tibi, tuæque subditum Potestati hominum genus in quatuor hominum conditiones dividentes dicebamus, præter eos, qui nunquam Christianæ Fidei pietatem susceperunt, & eos, qui ab ea jam suscepta impie discesserunt, de quibus hucusque sermonem fecimus, multo valde plures sint homines, qui Christianum quidem nomen cum habeant, Christianæ tamen veritatis ita quædam suscipere, quædam autem non suscipere videntur, ut si intra Ecclesiam sint an extra, nostrum nullo pacto sit definire: relinquatur Tibi, Beatissime Pater, post infidelium gentium excidium (quod nisi Tibi defueris, cito futurum speramus) horum Christianorum omnium cura, quæ ob magnam Nationum, Linguarumque diversitatem, & hominum in qualibet earum innumerabilem multitudinem, locorumque distantiam, sicut maximos labores, sollicitudinesque, ita uberimos certe, ac dulcissimos Tibi fructus est paritura. Neque enim existimare possumus, aut invincibilem illam animi tui fortitudinem, laborum multitudine terri, aut magnam illam mentis tuæ pietatem optatissimos Christianæ pietatis fructus, animarum scilicet salutem, sperare. Scis enim Apostolicæ Dignitatis proprium esse omnium Ecclesiarum sollicitudinem gerere. Nam si neque Judæorum perfidia, neque Mahumetarum impietas, atque sævitia Te ab eorum, quantum per Te fieri potest, cura non liberat: quomodo sine salutis propriæ discrimine poteris tantarum Christianarum Nationum, quæ ignorantia potius, quam ulla malignitatis, nequitia aberrant, curam negligere, non videmus. Si qui vero sunt, qui aut non alios esse in universo Terrarum orbe Christianos, quam istos, quos omnes novimus, qui Europam incolunt, aut majorem esse infidelium, quam Christianorum numerum existiment: hi nimirum magna rerum ignorantia,

Append. Annal. Camald. Tom. VIII.

inseitiæque laborant. Habet namque Africa plurimas, habet & Asia multo etiam plures Christianas Nationes, innumerabiliumque fidelium populorum multitudines, quæ multo majora Terrarum spatia, latioresque regiones, quam tota ipsa sit Europa, occupant. Et nisi Tibi hæc notiora, quam nobis esse credimus, ex ipsa Orbis descriptione ostendere possemus; minimam eam esse Orbis partem, quæ ab infidelibus, sive Turcis, sive Mauris possidetur: maximas, ingentissimasque relinqui Africa, ac Asiæ regiones, quas Christiani certissime inhabitant, quorum pro regionum capacitate, habitantiumque frequentia tantus est numerus, ut multo sine ulla proportionem plures illos esse, quam omnes simul Europæ Christianos, ac reliquarum orbis partium infideles absque aliqua temeritate & iudicari possit, & certis rationibus, ipsaque rerum experientia comprobari. Hi vero omnes, quoniam si in omnibus Fidei nostræ articulis, ac in universis sanctæ Romanæ Ecclesiæ definitionibus, quæ ad salutis attinent necessitatem, recte, an minus recte sentiant, nescimus; neque hoc esse adhuc definitum ab ipsa, quæ Fidei mater est, Apostolica Sede, cognovimus; ideo an intra Ecclesiam, an extra illam sint, non nostrum, neque cuiusquam alterius, quam Beatitudinis tuæ esse id definire, diximus; quamquam has omnes nationes, & populos, quasi præcisa corporis membra esse non ignoramus. Quippe, quoniam minus, quam opus esset, Capiti suo, Romano scilicet Pontifici adherent; quoniam tamen, si dissentendi voluntate, aut excusabili aliqua ignorantia hoc illis accidat, nescimus: ideo nisi a Te uno, & ab Ecclesia ipsa, quid de illis credendum sit, definiatur, neque damnare illos, neque approbare ullo modo audeamus. Scimus eos, qui voluntarie a sancta Romana Ecclesia vel minima in re dissentiant, qui non omnia Apostolica decreta suscipiunt, ab ipsis sacris Canonum definitionibus damnatos esse. Si vero isti voluntaria nequitia, an satis excusabili ignorantia minus Romanæ Ecclesiæ, Romanique Pontificis decretis tribuant, quam par sit, nescimus, neque aperte hoc adhuc definitum censemus. Neque, mirum fortasse videri potest, si maxima locorum distantia (magna enim inter nos, & illos maris æquora, magnæque Terrarum spatia interjacent, mediusque interponitur Infidelium Nationum paries) si Linguarum diversitate factum sit, ut quemadmodum plurimis eorum, qui Europam incolunt, ita illi incogniti omnino sunt,

tt

ut

tu neque ullos esse existiment: sic illis vel omnibus, vel aliquibus nationibus, & populis aut incognitum omnino, aut parum notum sit, Romanum Pontificem esse, qui caput omnium Ecclesiarum, & Christianorum Princeps sit, cui non adherere, cui non obedire, cujus non omnia Decreta suscipere, a Christo discedere, & Christianæ pietatis veritatem non custodire censeant. Quis enim Romanorum Pontificum hoc populis illis, præter Græcos fortasse, aut per nuntios, aut per litteras declaraverit, quando sunt ad obediendum Ecclesie Romanæ vocati, & ipsi obedientiæ debitam promissionem præstare renuerunt? Si enim pro hoc, aliove in his, quæ ad Fidem attinent, errore unquam ab Ecclesia damnati sunt, nescimus: ideo eos si intra, an extra Ecclesiam sint, definire ausi non sumus, ne forte, quos Ecclesia damnat, nos incaute probaremus, aut quos probar, temere damnaremus. Sive tamen jam ab Ecclesia damnati, sive non adhuc damnati dicantur, hoc affirmare audent, in maximo apertoque satis salutis propriæ discrimine eos versari, qui Romanæ Ecclesie præfunt, si has Pontificali Officio commissas Christianorum omnium Nationes aut omnino negligere statuunt, aut parum curare decernunt, aut majorem curam, & sollicitudinem terreno Sanctæ Ecclesie Patrimonio, quam tantorum Christianorum salutem impendant. Castra enim, Civitates, Regna, & Imperia, quæ Sanctæ olim Ecclesie donata, nunc patrimonium ejus vocari consuevit, tueri, aut ex Tyrannorum eripere potestate, nemo est qui damnare audeat. Hoc tamen uno negotio ita Summi Pontificis mentem occupari, ut pretiosorem in conspectu Domini tantorum Christianorum populorum salutem aut negligat penitus, aut immortalibus animis lucrands minorem, quam terrenis acquirendis divitiis sollicitudinem impendat, damnabile. Qui non existimant illi, quale proprium præcipuumque sit Pastoralis Dignitatis officium, ignorare videntur. Tanto enim curæ, sollicitudinique Pastoris immortalium animarum salus magis, quam terrenarum Civitatum, aut Regnorum vindicatio commissa est, ut pro unius etiam solius animæ salute, omnes Ecclesie thesauri, omnia Regna & Imperia exponenda sint. Si enim boni Pastoris munus esse non ignoramus, pro ovibus suis animam suam ponere, pro anima autem commutationem nullam dari posse non ambigimus: relinquitur certe, ut qui minorem ovibus suis, quam terrenis divitiis curam impendit, non bo-

ni Pastoris, sed iniqui potius mercenarii locum teneat, & Patris familias præceptis minus obtemperans, rationem villificationis suæ redditurus, in magno animæ propriæ discrimine versetur. Tu vero, Sanctissime Pater, cui hæc omnia, quantum unicuique sunt maxima, immo magis, quam alicui alteri notissima, aperitissimaque sunt, & qui concessa Tibi a Domino Pastoralis officii dignitate, non ad propriæ salutis detrimentum, sed ad plenioris sempiternæ felicitatis acquisitionem uti decrevisti: ita curarum tuarum sollicitudines rebus pro meritis impertiri curabis, ut memor esse videaris, quod non Petro solum, sed in Petro Tibi etiam, qui nunc ejus locum tenes, a Domino dictum sit: non jura Ecclesiastica tuere, non vindicare civitates, non divitiis cumula, sed pasce oves, pasce agnos meos, quamquam veræ Ecclesie jura tueri, est animarum salutem omnibus modis curare. Quæ enim Ecclesia est, nisi animarum congregatio? Quæ autem jura, aut bona Ecclesie hujus sunt, nisi recta Fides, boni mores, salusque ipsa omnibus promissa sempiterna? Tu, inquam, Beatissime Pater, cui nulla rerum ignorantia officere potest, ut aureis vasibus neglectis, scilicet solum curam adhibeas tuam: cui nulla divitiarum immoderata cupido, nulla intemperans regnandi ambitio mentis aciem, Fideique adimere poterit: cui demum nulla hominum gratia, nullum odium, nulla vindictæ libido dominari poterit, aut Te transverso ducere calle, secundum Domini præceptum, & majora facere, & minora non omittere curabis, & pro harum nationum & populorum salute nullos labores, nullas sollicitudines, atque curas subire dissimulabis. Vere enim verecundiæ, & pudori Tibi futurum existimares, si aliquis eorum, qui hanc ante Te Beati Peeri Sedem tenuerunt, plus laboris subisse, & plures Ecclesie thesaurus exposuisse pro terrenis Civitatibus a Tyrannorum Dominatione vindicandis inveniatur, cum Tu pro tot populis, nationibusque, tot scilicet mille millibus animabus a Diaboli servitute liberandis, & ad Ecclesie unitatem, ac proinde ad æternæ salutis infinitam jucunditatem perducendis, facere paratus sis. Sunt autem, Beatissime Pater, quantum nos non solum studio legendi, sed peregrinandi labore cognoscere potuimus, præter omnes Christianos, qui Europam occupant, septem Christianorum nationes minus fortasse plurimis cognitæ, quæ diversas orbis partes incolunt, & sub aliis, & aliis Regibus vivunt, & Principibus, Diver-

Diversas autem has diximus septem nationes, quæ distant ab invicem, non sicut Campania ab Apulia, aut Emilia ab Etruria, sed multo, verbi gratia, magis quam Gallia ab Hispania, aut Pannonia differunt a Germania; quippe quæ singulæ earum latissimis diffusæ regionibus, magno locorum spatio a cæteris separentur, quibus nec imperium, neque vivendi leges, aut habitus, neque religionis ritus, neque Linguarum idioma commune sit. Utuntur enim singulæ, ut ex uno hoc in cæteris omnibus, quantum ab invicem diversificent, facile perpendere possis, non modo tanta sermonis diversitate, ut neque salutandi officio invicem communicari possint, sed tanta in scribendo disparitate, ut forma, modo, ordine, numeroque litterarum, multo magis, quam Græci a Latino, aut ab Hebræo Arabes, hæ singulæ inter se differant a singulis nationibus. Sunt, qui paucioribus, quam nos utuntur, elementis: Sunt, qui plusquam centum, & quinquaginta litteras habent, qui non syllabas ex litteris conficiunt, sed singularum syllabarum vim singulis diversis characteribus scribunt, aliqui Latino, Græcoque more de sinistro, alii Hebræo, Araboque instituto ex dextro in sinistram scribendo procedunt. Forma vero, sonus, ac nomina ipsarum litterarum in singulis nationibus ita diversa sunt, ut nulla penitus, aut in scribendi forma, aut sono proferendi sit communicatio, nisi in quantum harum nationum una est, quæ licet non simili omnino characteribus, simili tamen voce Græcis utitur litteris novem, quas Græci non habent: nihilominus additis quibusdam novem litteris, ita a Græco idiomate separantur, ut Græcus neque eorum scripta legere, neque sermonem intelligere valeat. Cæterum, si de his solum nationibus nobis nunc apud Te sermo habendus esset, & quas earum, quæque incolant regiones, quos Reges, & Principes habeant, & quibus in his, quæ ad Fidem attinent, diversis utantur cæremoniariarum viribus, quantum nos cognoscere potuimus, scribere non pigeret; ex quibus, quam magnæ ipsæ fuerint, quamquam a cæteris aliis & locorum distantia, & omnibus vitæ officiis diversæ, palam fieret. Sed ne multa scribentes, dum singula diffusius explicare voluerimus, sermo nimium protrahatur: quantum ratione locorum ab invicem distent, hoc solo argumento dignosci facile potest, quod eorum aliæ nigros, aliæ fuscios, aliæ candidos homines habeant. Et quemadmodum ex eo, quod de Linguarum,

Append. Annal. Camald. Tom. VIII.

Litterarumque diversitate diximus, qualiter sit harum nationum ab invicem diversitas, facile arguere quisque potest; ita ex hoc uno, quod dicturi sumus, non difficile erit, singularum nationum magnitudinem cognoscere. Præter enim illius Principis Presbyteri Joannis, qui Abissinis, Jacobinisque imperat, satis certam potentiam, quæ major omnino existimatur, quam Turcarum simul, ac Maurorum vires, aliæ, una sola earum est nationum, quæ quinque Reges, totidemque Regna habet, quorum singuli & regionum latitudine, & virorum multitudine, & divitiarum copia Maurorum Sultano nihilo inferiores existimantur. Et quamquam huic reliquæ minime sunt æquales, maximos tamen, potentissimisque fore non ignoramus. Hæc autem, & alia quædam de his septem Christianorum nationibus tum legendo, tum maxime videndo cognovimus; non quod ad has omnes nationes peregrinati simus, sed quod ibi fuimus, ubi ex singulis nationibus multi homines, multæque familiarum continue degant. Dum enim ego Paulus visendi, visitandique Sepulcri Domini Nostri Jesu Christi causa in Syriam navigassem, inter cætera, quæ cognoscendi studio per tres continuos menses, quibus in Jerusalem circumjacentibus locis sum immoratus, inquirere volui, hoc unum fuit. Cum enim primis illis diebus, quibus Jerusalem applicueram, Sancti Sepulcri Ecclesiam, quæ ab infidelibus lucris gratia clausa custoditur, ingressus essem, inveni ex harum nationum singulis viros aliquos in eo voluntario carcere se mancipantes, & in hymnis, & psalmis, aliisque Religionis obsequiis Domino servientes. Magna enim, amplaque cum ea sit Ecclesia, pro singulis nationibus seorsum sunt loca separata, in quibus cellulis angustissimis constructis ex omni natione duo, aut tres, aut quatuor separatim inhabitant. Præter enim nonnullos ex Beati Francisci Ordine, qui in ea continue degunt, quique soli sunt ex universa Europa, septem adhuc ibidem aliæ Christianorum, ut diximus, nationes reperiuntur, lingua, moribus, habitu, cæremoniariarumque ritu valde ab invicem dissidentes, neque ex illis nationibus illi tantum pauci, qui in ea vivunt Ecclesia Ierosolymorum sunt, sed ex earum singulis multi religiosi viri, familiarumque multæ inveniuntur; ita ut ex omni populo illius Civitatis, quæ satis est habitata, plusquam tertia pars ex his Christianorum gentibus esse censeatur, præter multos alios, qui extra civitatem, ecclesias, & domos,

ut ij quasi

quasi Monasteria quædam habent. Fuit enim mihi inter cætera illis diebus cura, non solum eos, qui Jerusalem habitant, sæpius convenire, sed extra civitatis mœnia, loca singularum nationum adire, ut usu interpretum, quantum potui interrogando, aliquid de illis cognoscere, a quibus & ea, quæ diximus, & alia nonnulla didicimus. Sunt autem istæ nationes, ut earum tandem nomina exprimamus: Abissini, qui nigri sunt, immo subfusci, & ab ortu Nili usque ad Ægyptum infra Nilum, ac Oceani terminos sub eo satis noto Principe Joanne Presbytero ab omnibus nuncupato, habitare dicuntur. His cæremoniarum ritu satis similes, sed colore multum diversi sunt Jacobitæ; albi etenim sunt. Armeni vero alii nuncupantur, qui ex nomine ipso, quam Orbis incolunt partem, cognoscuntur; formosi siquidem homines, ac valde Religiosi. Alii autem sunt Georgii, reliquis ditiores, quibus in Sepulcri Ecclesia locus, ubi Dominus fuit crucifixus, deputatus est. Cum enim amplitudine sua Calvarii Montis partem illam, in qua crucifixus est Jesus, & Horti locum, ubi Sepulcrum in saxo erat excisum, comprehendat, his nobilissimis Georgiis, & aliis ditioribus nobilissimus locus datus est, & multa in Jerusalem, atque etiam circumcirca Jerosolymam loca, ecclesias, domos, ac prædia possident. Et illi hi ceteri sunt, de quibus a fide dignis, senio, Sacerdotioque venerandis hominibus didicimus: quinque hujus gentis Reges Sultano, ut diximus, esse non inferiores. Præter hos sunt & Suriani, & Maronitæ, ex quibus non multi tunc temporis Jerosolymis erant. Maronitæ enim illi sunt, qui Libanum montem & circa eum adjacentia loca occupant. Gabrielem namque virum ex eodem S. Francisci Ordine, linguarum peritiam insignem in Episcopum receperant, qui eos in Ecclesiæ Romanæ obedientia custodit, conservavitque. Hæ sunt sex, quas narravimus nationes, quibus si Græcos alios notiores addamus, septem, sicut prædiximus, Orientalium, Meridionaliumque Christianorum nationes habebimus. Hi vero, qui Græci censentur, & qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ ritus servant, plusquam centum familiæ sunt apud Jerosolymam, Romanæque Ecclesiæ ritus non suscipiunt. Sunt & alii hujus nationis pene innumerabiles, qui per totam Græciam, & in omni tam Turcarum, quam Maurorum regione degunt. Commune autem his omnibus nationibus est Romanæ Ecclesiæ minus ad hære; Romanum Pontificem aut non

cognoscunt, aut omnium Ecclesiarum, quæ in universo sunt orbe, Caput nequaquam existimare; Petrum, non Principem Apostolorum, sed unum de numero aliorum credere; earum ecclesias, quas a Jacobo, a Bartholomæo a cæteris Apostolis constitutas autumant, Beati Petri Ecclesiæ, Romanæ scilicet Sedi, non inferiores, sed æquales esse: Sed & præter hæc, Christianæ Religionis Evangelicæ, Apostolicæque doctrinæ mores, ac ritus hæc singula perfectius puriusque, quam reliquæ omnes, observare credunt; cum tamen magnopere in suscipiendis Ecclesiæ Sacramentis, aliisque ritibus servandis inter se invicem, & a nobis quoque discrepent. Sunt enim, qui aquæ & ignis baptismum suscipiunt, quamquam aquæ necessarium ad salutem, ignis vero nequaquam necessarium, sed ad melius esse institutum ajuunt. Altaris Sacramentum in fermentata bucella conficiunt, & infantibus quoque fere omnes ministrant. In Matrimonio alii repudium admittunt: alii secundas nuptias non suscipiunt. Quæ quidem omnia, dum ipsi consideramus, & præter hæc singulas has nationes, circa mores peculiare quosdam ritus habere, & in his quæ credimus, non eadem nobiscum, neque eadem omnes sentire, quamquam non satis aperte omnia eorum placita, ob linguarum diversitatem intelligere potuimus, neque etiam definire, si de his, in quibus a nobis dissentire videntur, necessarium sit pro eorum salute aliquid opinari; de omnium salute valde dubitamus, timemusque, ne membra hæc ab eorum Capite penitus divisa, sic a fide, & a vita sint aliena, ut nulla salutis spes sit reliqua, nisi Capiti suo jungantur, Romanæque Ecclesiæ mores, ritus, cæremonias, fidem, placita, decretaque omnia, quantum ad salutem necessarium esse creditur, suscipiant. Quoniam vero hæc suscipere, nisi illis tradantur, nequaquam possunt; tradi autem, nisi a Te uno, aut per Temetipsum, aut per alios, qui a Te potestatem acceperint, omnino non valent: magna Tibi, Beatissime Pater, necessitas incumbit, postquam pastorem hanc dignitatem suscipiens omnium quoque humanarum creaturarum, maxime vero Christianorum hominum regimen suscepisti. Si salutem itaque tuam penitus non vis negligere, harum nationum, quæ sub Christiano nomine vivunt, maximam curam, diligentissimamque sollicitudinem Te suscipere oportet, ne pereuntibus illis, secundum Propheticam sententiam, sanguis eorum de manibus tuis requiratur, qui tunc se-

lum requiri non poterit, cum Tu, quantum in Te erit, non laboribus parcens, nou expensis, omni studio, ac diligentia curaveris, has nationes ad Ecclesie Romanæ gremium, obedientiam, unitatem, conformitatemque reducere; quod Domino Jesu Christo auxiliante facile fieri posse credimus, si modo sapientia illa, pietasque animi tui hoc in Domini Jesu Christi gratiam efficere proposuerit. Neque enim rei noyitate, neque regionum longinquitate, neque nationum diversitate, neque alia ulla difficultate invincibilis illa virtus tua superari poterit; quæ si semel hoc tam sanctum, tam Deo placitum opus inceperit, nunquam desistet, nisi & ipsum perficiat. Perfici vero posse de Domini misericordia, deque tua Sapientia, ac Pietate confisi, facile existimamus. Multa enim in eis cognovimus, quæ nos facilem eorum conversionem sperare decent. Sunt enim fere omnes illarum nationum viri, quos cognovimus, tantum naturali quadam bonitate præditi, tanto Fidei, quam recte sentire arbitrantur, zelo succensû, tantum Christiani nominis, Christianæque religionis studiosi, ut erubescere nos omnes Europæ Christiani merito possimus, si intueri vel semel datum esset, quanta reverentia sancta illa loca venerentur; quanta veneratione Christianum nomen prosequantur; quam in omnibus vitæ officiis modesti, quam benigni. Quæ omnia sæpius considerans, memini me in hæc verba sæpius prorupisse: Hi Christiani vere sunt, nos Sempagani. Ne vero illos tantum, qui Jerosolymis degunt, hujusmodi esse, sed omnes illarum nationum populos existimemus, illud nobis argumento est, quod audivimus, quovannis instantibus Sacre Passionis, Resurrectionisque Dominicæ diebus, quamplurimos ex singulis illis nationibus, longissimis, difficillimisque itineribus superatis, ad sancta ea loca visenda, venerandaque, Jerosolymam summa Fidei devotione venire. Sed & erga Apostolicam Beati Petri Sedem ita recte affecta sunt singula nationes, ut interrogantibus ex tot Christianorum nationibus, quinam illi sint, qui rectius, puriusque Christianam custodiunt pietatem, primo quidem loco singuli seipos ponant; secundo autem omnes communi responsione, Petri & Pauli Ecclesiam constituent. Quod magnam esse rectæ institutionis nostræ approbationem optime novit Beatitudo tua. Meminit enim non aliter potuisse olim peritissimorum illorum Statuvariorum imagines, quænam perfectior esset, judicari, singulis suam ante alias lau-

dantibus, nisi quam secundo loco laudandam esse, plures eorum dixissent, eam absolutiorem judicassent. Sed præter hæc illud multum prodesse ad has nationes Sanctæ Romanæ Ecclesie copulandas poterit, quod certissime cognovimus; singulas scilicet earum nationum Novi Testamenti, neque plures, neque pauciores, quam nos Libros habere. Magno enim, memini, gaudio afficiebar, cum volumina eorum, quæ legere nesciebam, evolvens, quid quoque volumine contineretur, interrogans, apertissime cognoscebam, nihil a nostris eorum Scripturas discrepare. Quatuor habent Evangelia, eorum quo nos, ordine disposita, Matthæi, Marci, Lucæ, & Johannis. Et quod majus est, singula eorum in totidem Capitulis divisa, quot sunt apud nos. Epistolæ Pauli tresdecim, quarum, quæ ad Romanos est, primo loco, & cæteræ deinceps non alia serie, quam apud nos ordinata. Post hæc Apostolorum actus, & totidem, quot habemus nos, Apostolorum Epistolæ, quæ canonicæ appellantur; postremo vero loco Joannis Apocalypsim. Spem enim maximam concipiebam easdem, quas nos Scripturas habentes facillime posse ex eisdem scriptis veritatem Fidei edoceri. Quippe quoniam, quantum nos cognoscere potuimus, & prompti, paratique sunt ad audiendum, & faciles ad aliorum sententias suscipiendas; Græcos dumtaxat ex omnibus excipimus, qui pertinaci quadam superbia, crassiorique ignorantia, neque audire facile acquiescunt, neque audientes rationibus cedere consueverunt; qui etiam ab omnibus aliis nationibus communi consensu, postremo loco inter omnes Christianos statuuntur; difficiliorque certe unius illius nationis, quam cæterarum omnium simul cura a nobis existimatur. Cum tamen & Græcos ipsos, si Tu modo volueris, corrigibiles satis esse credamus, has septem nationes Domino lucrifacere, Ecclesieque Romanæ conjungere, Te magis optare, quam septem qualescumque sint, Civitates, septemve terrena imperia Beatorum Apostolorum Patrimonia addere certissimi sumus. Quare majori cura sollicite perquirere cor tuum credimus, quos ad singulos harum nationum Oratores, quos Sacrarum Litterarum Doctores mittere possis, quam quos exercitus, quos Duces ad tuendas, aut expugnandas aliquas Civitates mittere debeas. Novit enim Beatitudo tua nulla alia ratione facilius has Christianorum nationes ad unitatem, veramque subjectionem Romanæ Ecclesie attrahere posse, quam si ad singulas earum

rum maximos Sapiaentia, & Dignitate, ac singulares Doctrina viros miseris, ut illi auctoritate, isti autem doctrina eos ad salutem animarum suarum hortari, atque persuadere valeant. Si autem ad eos huiusmodi viros miseris, & aliquos ex illarum gentium numero Episcopos, ac Sacerdotes ad Te, ad Concilium Lateranense advocaveris, tuaque Sapiaentia eorum conversionem non neglexerit, futurum facile speramus, ut nobilissima hæc Christianæ Reipublicæ membra, quæ dissipata nunc, ac disiecta, veræque Fidei vita privata jacent, reviviscant, & Capiti suo uniantur. Quod sane magis futurum Ecclesiæ lucrum est, quam si mille insignes Civitates tuæ subicerentur potestati. Tantum igitur Sanctæ Ecclesiæ lucrum posse Te minoribus curis impeditum negligere, nos certe existimare non possumus; sed jam videre nobis videtur, Te nobilissimos Oratores, dignissimosque Legatos ad harum nationum Reges, Principes, populosque mittere, & una cum illis Christianæ veritatis prædicatores, doctoresque dirigere. Episcopos præterea earum nationum (habent enim & suos illi populi Episcopos, Archiepiscopos, ac Patriarchas) ad Lateranense Concilium vocare, ad Ecclesiæ unitatem omnibus artibus revocare, in Ecclesia Romana aliquas illis dignitates concedere. Neque enim bene Tibi cum Patrefamilias futurum aperte intelligis, si hos populos, qui sane major pars commissarum Tibi ovium sunt, ad verum Ecclesiæ, unicumque Ovile reducere neglexeris. Prodesse vero, & multum quidem ad infidelium expugnationem Tibi poteris, si has populorum nationes Sanctæ Ecclesiæ conjunxeris; Si enim Te cum infidelibus pugnantem, illi communes Fidei Christianæ hostes a tergo adoriantur, quænam via salutis infidelibus relinquetur? Si vero hæc, quæ diximus, minus prodesse cognoveris, non deerunt Sapiaentiæ tuæ alia, atque alia opportuna remedia, quibus languescentibus illis Sanctæ Ecclesiæ membris, mederi possis. Nunc enim Te ad Ecclesiam suam vocavit Dominus, cum maxime medico egere visa est. Nos vero, quoniam illis paucis, quæ diximus, argumentis, Domino Jesu favente, omnes illas nationes, præter Græcos, ad Ecclesiæ unitatem, subjectionemque redituras certissime speramus, plura alia, quæ tentari in huiusmodi negotio possent, consulto scribere prætermittimus. Græcis vero, tanquam iis, qui gravius laborant, potentiora sunt medicamenta præparanda. Cum enim alii vel ignorantia, vel negligentia

quadam a Romana sint Ecclesia divisi, Græci soli sunt, qui non ignorantia solum, sed pertinaci etiam impietate tantum a Romana dissentiant Ecclesia, ut Romanum Pontificem, omnesque illi subiectos populos malos Christianos, Hæreticosque appellare non formident. In illis enim Græciæ civitatibus, in quibus permixti Græci, Latini que vivunt, Latino uxorem vir si ducat Græcus, aut Latino viro Græca si nubat mulier, Græco instituto vivere, jurare, ac vivere Latinus cogitur. Filios cum suscipiant, parens Græcus ad Presbyteros Græcos, Latina autem mater ad Latinos, unus clam alio ad baptizandum portat, ita ut multi sint, quibus bis baptizari contingit. Ad Altare, supra quod Latinus sacra ministeria Sacerdos celebraverit, Græcus non accedit, nisi prius multis vicibus illud ablui curaverit. Hæc, multa que alia his deteriora, quæ his oculis vidimus, his auribus audivimus, perversitatis eorum magna nobis sunt argumenta, non tamen eorum salus desperanda est, sed quantum gravius laborare creduntur, tantum diligentius pietatem tuam studio salutis eorum incumbere decet. Non enim sanarum tantum, sed infirmarum quoque ovium curam suscepisti. Quoniam autem nulla infirmitas tam gravis est, quæ facile sanari non possit, si ejus origo, causaque prius percipiatur, cogitare Sapiaentiam tuam credimus, quomodo factum sit, ut post Florentinum Concilium, in quo omnis, quæ inter Græcos, Latinosque esse videbatur discordia, sopita omnino, atque amputata est, iterum Græci a Romana tantum Ecclesia discesserint, ut legitimum ejus Pastorem hæreticum audeant appellare. Quis vero impius ille fuerit, qui a Concilio illo discedens iratus, quod Cardinalatus non fuerit dignitate decoratus, omnem Græciam falsis rumoribus conturbaverit, auctoritatemque Concilii illius fregerit, tuam latere Sapiaentiam non potest. Eo vero discordiarum sparso semine, quanta contra Latinos orta sit odiorum seges, vix existimare ullus posset, qui Græciæ loca non adjisset. Quantum vero in dies crescat, nullus omnino est, qui pro merito dicere valeat. Dum enim populorum ignorantia a Sacerdotum temeritate; impudentia vero, & audacia Sacerdotum a plebis inscitia continue fovetur, ad id ventum est, ut Græcus palam Latinum, tanquam Ethnicum & publicanum habere affirmet. Concepit enim semel plebs ignara a Romana dissentire Ecclesia, unde eos eleemosynis & beneficiis omnibus largius Sacerdotes profes-

quunt.

quantur, qui audacius, ac promptius contra loqui Ecclesiam non formidant. Ipsi vero Sacerdotes, qui non solum communi cum plebe ignorantia, sed inopia etiam maxima laborant, ut populorum subsidia aucupent, ea dicere de Latinis audent, quæ de Judæis, aut Mahumetanis vix nos dicere auderemus. Inopia vero Sacerdotibus omnibus illis tanta inest, ut aliter, quam ex populorum elemosynis, vivere nequaquam valeant. Hanc, Beatissime Pater, cum Tu infirmitatis eorum causam ignorare non possis, salutifera illis remedia adhibere facillime poteris. Si enim populorum ignorantiam, multis missis ad eos prædicatoribus imminuere, audaciam vero auctoritate, severitateque pastoralis compescere curabis, Sacerdotumque inopiam ex eorum locorum Ecclesiis, quæ Latinis Prælati subditæ sunt, illis portionem aliquam, qua vivere possint, concedendo, levare non pigebit, aliquosque eorum ad aliquam Ecclesiæ Romanæ dignitatem promovere statueris, facillime fiet, ut tanta erroris impietate dimissa ad cor redeant, & Romanam Ecclesiam, quam nunc, quantum possunt, infamare, deprimereque non cessant, venerari incipiant; illique, a qua maxime divisos esse nunc gaudent, conjungi cupiant. Nihil enim est, quod magis animos ad concordiam, benevolentiamque alliciat, quam oblata non petentibus beneficia. Illi enim, qui a Romanis Pontificibus neglectos esse molestissime ferunt, si a Te foveri se senserint, facile ex odio ad amorem, ex discordia ad concordiam, unitatemque convertentur. Meminimus, olim de hoc Græcorum hominum schismate multos sermones cum Reverendissimo Episcopo Cræmonensi habuisse, qui certe, Pater Beatissime, vir est Religionis Zelo, Doctrina, Moribusque, ac alia omni virtute nihilo sanctis illis antiquioribus Ecclesiæ luminibus inferior, qui multos annos apud Græcos commoratus, miseras horum populorum infirmitates optime novit, cui, si Tu negotium hoc tantum commiseris, pro sua erga Romanam Ecclesiam observantia atque pietate, pro magna animi ejus prudentia, atque doctrina, rem pro votis Beatitudinis tuæ conficiet: mores enim eorum non ignorat, Linguam optime callet, infirmitates, ac remedia, quæ illis prodesse valeant, cognoscit; labores, ac pericula pro Christiana pietate subire non formidat; & ut postremo hoc etiam adjiciamus, si auctoritatem a Te Pontifice Summo omnium haberet, Græcos omnes ad Ecclesiæ Romanæ concordiam, unitatem, veramque

subiectionem, parvo temporis spatio se posse reducere non diffidit. Nec vir est, qui temere aliquid suscipere auderet, qui quorsum tendere posset, quemque finem habiturum esset, non prudentissime prævidisset. Utinam multos tales Romana haberet Ecclesia. Utinam iste, quem nos satis cognovimus, aliique huic perfimiles, quos Sapientia tua Te cognovisse credimus, in his operibus exerceantur. Messis quidem multa multos operarios Te optare admonet. Cum vero messis multitudine omnino pauci ipsi sint operarii, illos quotquot sunt, mitti in messem Domini optamus. Cumque a nullo, nisi a Te, qui Patrisfamilias vices geris, mitti possint, Te per sacra Domini Nostri Jesu Christi vulnera rogamus, ut quoscunque habere potes operarios, illos ad messem Domini dirigere non negligas, ut undecumque ex Judæis, ex Idololatriis, & Mahumetanis, ex aliis Christianorum diversis nationibus, ex Græcis, ex omnibus denique hominum conditionibus fruges quamplures in horreis Domini congregentur, ne forte super Te, qui messoribus omnibus præpositus es, illa in novissimo die cadat confusio, quæ per Joëlem Prophetam pronuntiatur; *Confusi enim, ait ille, sunt Agricola, quia periiit Messis agri.* Quoniam vero in Domo Domini magna, non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, quædam scilicet in honorem, ad utile, dignumque ministerium; quædam autem in contumeliam, ad viliora, abjectioraque opera subeunda; & in uno corpore multa sunt membra, neque omnia eundem actum habent, sed alia quidem nobiliora, perfectioraque in nobis ministerium, alia autem ignobiliora, atque infirmiora, vilioribus utique officiis inservientia, non incongruum nos facturi arbitramur, si pro multitudine messis Te multis operariis egere exillimantes, nos, qualescumque sumus, non tanquam aurea, aut argentea vasa, sed ut fictilia, contractaque, & pene omnino perdita, non tanquam oculi, aut manus, sed tanquam pedes, & si quod pedibus etiam ignobilibus, infirmiusque membrum est, Tibi Beatissime Pater nosmetipsos offeramus. Et quamquam ad omne inutiles ministerium nosmet cognoscamus, pro Christi tamen nomine, pro Fidei nostræ zelo, pro nostra in Te observantia, atque veneratione, nullum tam vile, tam abjectum ministerium est, quod suscipere erubescamus; nullum periculorum. aut quorumcumque discriminum tam plenum, ut illud subire timeamus, nullum tam arduum, tam difficile,

ficile, quod Te jubente, & Domino Jesu auxiliante, perficere non confidamus. Parati enim sumus pro Christi nomine viliores omnibus hominibus fieri, nulla unquam difficultate terreri, nullisque laboribus frangi, manifestissima denique pericula omnia, & mortem etiam ipsam intrepide subire, ut Christo Domino nostro in Cælis, & Tibi ejus vicem gerenti in Terris, quamquam ad omne opus inutiles, utcumque possumus, serviamus.

Hæc omnia, Pater Beatissime, quæ scripsimus, de tribus illis hominum conditionibus, qui intra Ecclesiæ gremium non plane continentur, minus fortasse prudenter, nimiumve prolixè dicta sunt. Nunc autem ultimo loco non multa de his, qui intra Matris Ecclesiæ sinum obsequentissimi filii continentur, dicere nos tuæ Sanctitatis indulgentissima benignitas tanto libentius permittet, quanto apertius intelligere potest, quod ea, quæ hucusque diximus, de his, qui Tibi, quasi Republicæ partibus optimo Republicæ Patri & Conservatori subjacent, dicta sunt. Quæ autem dicenda restant, ea de familia, cui Tu optimus Paterfamilias præpositus es, dicenda videntur. Meminitque Beatitudo Tua ab Apostolo pronunciatum, quod qui domui suæ præesse nescit, Ecclesiæ Dei diligentiam, atque sollicitudinem habere non novit. Et certe sicut quisque diligentior familiæ suæ, quam Republicæ Procurator esse solet, ita Te, Beatissime Pater, eorum, de quibus nunc dicere aggredimur, quasi priorum filiorum, domusque tuæ familiarium, majorem quandam, ac diligentiore curam habere oportet; idque Te minime latere credimus. Quemadmodum enim orbis terrarum, omnisque humani generis universitas, Respublica illa est, cui Tu Princeps designatus es, ita certe Christiani hi populi, qui fideliter Romanæ Ecclesiæ adhærent, subjectique sunt, domus illa est, cui Tu Paterfamilias es institutus, & eorum, qui in ea sunt, diligentissimam Te curam suscipere oportere, ille satis efficaciter admonere potuit, qui ait: *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Cum enim omnibus, quemadmodum in principio diximus, debitor sis, dum tempus, facultasque suppetit, Te non deficiens bonum operari oportet, ad omnes quidem, maxime autem ad domesticos fidei; Fidei autem domestici illi certe credendi sunt, qui verè Fidei vestigiis inherentes, Ecclesiæ Romanæ humiliter, fideliterque adhærent. Magna do-

mus Europa fere universa: multi familiares omnis vere Christianorum hominum multitudo; Tu vero Paterfamilias a Domino constitutus, & magna animi virtute, & Sapientiæ abundantia his omnibus multum profecto major es. Et ita ad hanc regendam familiam Christianam natus esse videris, ut nemini certe melius, quam Tibi, potuisset hæc cura demandari. Quis enim diligentius Christianæ hujus familiæ diversitates omnes comprehendere, quis singulorum membrorum infirmitates sapientius cognoscere, quis singulis infirmitatibus propria remedia diligentius inquirere, facilius invenire, aut majori pietate apponere potuisset? Existimamus enim nos, Beatissime Pater, Te, cum primum ad hanc sublimitatem Apostolicæ Sedis pervenisti, inde, tamquam ex eminentissima quadam specula, omnem Christianam familiam, uno quasi intuitu mentis tuæ acie comprehendisse. Si enim nihil aliud Episcopus est, quam speculator, Tu Episcoporum Episcopus effectus, super omnes speculatores diligentissimus speculator in eminentissima specula constitutus, perspicacissimo lumine intueri jam potuisti, familiam hanc tuam multas, magnasque continere hominum diversitates. Alii namque sunt in ea, qui, quoniam hoc sæculum, hanc vitam, quam in terris agimus, mente transcendere nequeunt, neque cœlestia, æternaque noverrunt terrenis his, & caducis rebus præponere, sæculares appellantur. Alii vero, qui, propterea quod Deo, a quo fragilitate, imbecillitateque humanæ hujus naturæ sæpius discedunt, per Divini cultus frequentiam, per mandatorum observantiam, per terrenarum rerum despectum, per sui ipsius denique abnegationem, continue se conjungere, ac relegare contendunt, Religiosi appellari soliti sunt. In utroque vero genere magnæ diversitates. Sæcularium enim hominum, alii nobiles sunt, qui scilicet aliqua cæteris dignitate præcellunt; alii autem inferiores, ut vulgus Religiosorum consimili, eademque omnino ratione, alii sunt, qui superiorem locum, eminentiorem dignitatem, regendi potestatem tenent; alii vero inferiori sunt loco constituti, qui si recte conditionis suæ servant instituta, pro maxima dignitate ducunt, omni carere dignitate. Hæc majora quædam sunt totius Ecclesiæ membra, quæ tamen multas in se diversitates continent. Sicut enim totum corpus in multa majora membra dividimus, ipsa, que deinceps singula membra, diversa alia minora membra obtinent; sic sane hæc ipsa, quæ numeravimus Ecclesiæ mem-

bra, singula multa, infinitaque minora ab invicem diversa membra continere, Tuam latere Sapientiam non potest; quae per singula recensere laboriosum sane esset, & minus fortasse ad eurationem necessarium. Si enim totius hujus infirmi corporis majora, potioraque haec membra congruis, ac salutaribus apposis medicamentis convalescent, & minora etiam illa omnia, quae illorum partes quasdam esse constat, sanitatem consequentur. Has, Beatissime Pater, familiae tuae diversitates, quasi magni cujusdam Corporis membra, Sapientiae tuae oculis conspiciens, singulorumque varios languores considerans (in nullo enim plena sanitas est) magnae illius pietatis tuae abundantia omnibus, Te jam preparare saluberrima medicamenta non dubitamus, singulisque pro singulorum necessitate, atque opportunitate, Te ministrare, atque inservire paratum credimus. Aliter enim neque illum imitari velle videberis, qui non ministrari, sed ministrare se advenisse aiebat, neque nobilissimum illud nomen, quo, qui Summi Sacerdotii dignitate decorantur, appellari solent, merito Tibi vindicare poteris. Omnibus enim Christi membris languescentibus, nisi singulis pro singulorum necessitate inservire studueris, Servus Servorum Dei dici quidem poteris, esse autem non poteris. Cum vero non omnes uno morbo teneantur, non uno omnes languoris genere laborent, sed multiplicibus, variisque infirmitatibus prementur, considerasse Beatitudinem Tuam diligentissime, omnibusque aliis perfectius persensisse credimus, alias graves esse totius Christiani populi infirmitates, quibus praesentis vitae statum minus quiete, minusque placide agere permittitur; alias vero his multo graviores, quibus ad aeternae vitae felicitatem via nobis praeccluditur, aditusque denegatur; & sicut duo sunt haec infirmatum genera, ita duplici ex fonte haec eadem in Christianos populos derivare Tibi incognitum esse non potest. Sentis enim, Beatissime Pater, illa omnia, quae Christianum populum minus quiete, minusque tranquille, hanc peregrinationis humanae vitam ducere permittunt, in omnibus Christianis hominibus ex paucorum Regum, Principum, Potentiorumque regnandi libidine, dominandi ambitione, avaritiaque, & aliis hujuscemodi vitis derivantia reperiri; illa vero, quae perveniendi ad Beatam Patris veram tranquillitatem, viam, aditumque praeccludunt, ex Religiosorum hominum ignorantia, superstitione, aliisque his non dissimilibus malis in omne Christianum vulgus,

Append. Annal. Camald. Tom. VIII.

quasi ex fonte diffundi, aut ex radice ortum suum habere. Quare si Sapientia, Pietasque Tua paucorum Potentiorum regnandi, injusteque rapiendi libidinem coercere, & male Religiosorum hominum vitia emendare studuerit, facillime certe toti populo Christiano pacem, tranquillitatem, & unanimis Charitatem in hac vita reddes, & ad aeternae tranquillitatis, & pacis fruitionem in Beata illa Coelorum Patria aditum referabis, & totum hoc Christianae Reipublicae corpus, quod languidum, infirmumque, & morti vicinum, Tibi, tanquam peritissimo Medico, a Domino commissum est, sanitati, salutique restitues, & antiqui decoris, & pulchritudinis ejus stola ornatum ostendes; ut qualem fuisse in primordiis Fidei, Christianae Religionis pietatem, puritatem, simplicitatemque in plerisque legimus, talem in hoc postremo saeculorum sine inveni, Te auctore, immo Te ministro, valeamus. Bonorum enim omnium unus auctor Deus ipse Optimus Maximus est; Creaturae vero omnes non solum, quae in terra, sed quae in Coelis etiam sunt, si boni aliquid operari videntur, ministri, & instrumenta summæ illius Bonitatis, & Potentiae existimari debent. Tu vero, Beatissime Pater, secundum Apostolicam admonitionem ministerium tuum implebis, si ante omnia Christianorum Regum, Principum, & Potentiorum hominum miseram bellorum rabiem, qua sibi ipsis imprimis, & omni deinceps Christiano populo pacem, tranquillitatem adimunt, sedare, atque reprimere curabis, & arma ipsa, quae contra semetipsos Christiani quasi in propriis visceribus ferventes, praeteritis annis exercuerunt, & nunc ad eundem usum parata habent, contra fervissimos Christiani nominis, Christianae Fidei, Christianaeque libertatis hostes moveri, exerceri pro Tua Sapientia, & auctoritate persuadere, atque imperare non dissimulabis; Et quod peritiores Medicorum facere consueverunt, si hos crudiores, iniquioresque odiorum humores, ampliandique Regni ambitiones, quae non facile extrahi, consumi, evacuari, regularique possunt, ex nobilioribus membris ad aliam quamdam ignobiliorem partem, ubi aut minori, aut nullo penitus cum sanitatis discrimine, futuri sint, divertere tentabis. Pacem vero ante omnia Te Christianis populis dare velle ideo credimus, quoniam ejus Tu in Terris locum tenes, qui oriendo ex alto, pacem in Terris attulit, qui vivendo, pacem habendam docuit, qui ascendens ad Coelos, pacem nobis quasi propriam haereditatem reliquit.

u u

& Deus

& Deus Pacis sepius ab Apostolo suo appellari voluit. Scisque præterea, quod si pacem familiæ tuæ, Christiano scilicet populo dederis, cum pace bona omnia dabis. Sine pace autem, etiam si multa alia dare coneris, nihil omnino dedisse videberis, quoniam sine pacis bono, nihil omnino est, quod bonum esse existimari possit. Et vere, nisi ante omnia Christianos Principes ad pacis iura conciliare Tibi a Domino permittum fuerit, nihil est, quod in hoc Tuo Pontificatus officio Deo gratum, aut hominibus utile Te facere posse sperandum sit. Pace autem confecta, nihil tam magnum, tamque arduum est, quod non facillime Te consequi posse, sit apertissimum. Pacem autem Christianis omnibus reddere poteris, si proposita contra Turcas expeditione, eos in omnes Fidei nostræ hostes arma convertere persuaderis, si ex Romanorum Cardinalium numero ad Hispanos, ad Gallos, ad Britannos, ad Helvetios, ad Pannonios, ad Venetos, Tuæ, Apostolicæque Sedis auctoritate Legatos pro pace conficienda destinaveris; si priusquam ipsi ad proprias Legationes accedant, pluribus privatis internuntiis, nunc minis, nunc blandis pollicitationibus Christianorum Principum animos ad eas suscipiendas, quas pro Sapientia Tua pacis condiciones proposueris, persuadere curabis. Tanta enim apud omnes Christianorum nationes Pontificis semper fuit auctoritas, quod Te (si hæc omnia feceris) aut ad pacem, aut ad inducias, propositis quibuscumque conditionibus, conducere posse, nequaquam desperamus. Et quamquam Christiani Principes omnes universum Italiæ Imperium, aut ex animo optare, aut suasionibus quibusdam sperare videantur, si tamen ditiora, & ampliora Europæ, Asiæque Imperia ipsis proposueris, si hujus sanctæ expeditionis facilitatem declaraveris, nemini dubium esse posse credimus, hos omnes pacis, induciarumque conditiones suscipere velle, & arma contra impios Fidei nostræ inimicos convertere. Tu modo, quod Tuum est, Pater Beatissime, in expeditione proponenda, in Legatis destinandis, in Christianorum Principum animis disponendis, prius omnia consulendo, & de Domini Jesu Christi auxilio nequaquam diffidendo, nulla interposita mora adimpleas. Quoniam autem vera pax esse non poterit, ubi justitiæ æquitas defuerit, ideo justitiam paci conjungere Te curaturum speramus, ut in diebus tuis ortam esse justitiam, pacisque abundantiam dicere valeamus. Justitiæ autem munera cum multa sint, ea Te

potissimum servare velle existimamus, quæ Ecclesiæ, Christianorumque populorum omnium libertatem respiciunt. Si enim Christianis Principibus, & aliis Civitatum Rectoribus prohibueris, Ecclesiasticas Personas Decimis, aut exactionibus quibuscumque onerare, si nullo modo permiseris homines cujuscumque Dignitatis fuerint, aut Virorum collegia, aut etiam Respublicas ad Ecclesiasticarum dignitatum electionem procedere; si perversam consuetudinem, quæ in plerisque locis invaluit, ut ad possessionem Ecclesiarum captendam armati homines accedant, tuæ freris auctoritate, & his similia multa, quæ res Christiana postulare videntur, & Tu melius omnibus cognoscere poteris; si opportuna facere remedia non distulabis, Ecclesiæ libertatem, quod justitiæ maximum munus est, conservabis. Si vero Christianos populos a Potentiorum oppressione liberare cupiens, violentas cujuscumque generis exactiones, iniqua, & multum ab æquitate aliena pedagia ex omnibus Christianorum civitatibus, aut auferre, aut moderari pro Tua auctoritate curabis; si usurarum pessimum crimen, quo Potentiores sanguinem pauperum exorbent, delere volens, Judæis fœnerari nullo modo permittes; Christianos vero a fœneratione, sub quocumque velamine fieri soleat, mortis pœna proposita, deterreberis; si litium, causarumque longa dispendia abstuleris, omnemque controversiam, non ad libelli examinationem, sed ad summariam æquitatis definitionem deduxeris; si Judicum quoque, & eorum, qui Judicis inserviunt, avaritiam tuo moderamine temperabis; si appellaciones, quæ nimium certe ab ea, propter quam institutæ sunt, semita aberrarunt, ad legitimum usum revocabis; si Hospitalium bona usurpari, quemadmodum nunc fit a Potentioribus, non permittes, sed Apostolica auctoritate ad eos usus, in quos relicta sunt, converti curabis; si tertiam partem bonorum singularum Ecclesiarum, secundum sacras Canonum definitiones, in pauperes erogari imperabis; si piratis, ac prædonibus neque portum concedi, neque ea, quæ victui, aut navigationi necessaria sunt, ministrari, anathematis pœna proposita, mandare volueris; si alia hujuscemodi plurima, quæ quantum sint Christiano populo necessaria, optime nosti, facere Beatitudinem tuam non pigebit, Christianorum populorum commodis optime consuluisse videberis. Quæ ideo sunt a Te, Beatissime Pater, amplius appetenda, ardentiusque aggredienda, quoniam, dum
his

his artibus pacis tranquillitatem, justitiarum æquitatem & hujus vitæ commoda pauperibus, & populis Christianis dare conaris, Potentioribus non minus, ac divitibus viam æternæ felicitatis Te aperire cognoscis. Dum enim Potentiores quosque ab injustitiis, & rapinis compescere studes, una & subditorum tranquillitati, & commodo consulis, & æternæ Potentiorum saluti Te consulere certum est; qui dum tranquillitatem, & vitæ commodum populis auferunt, ipsi sibi ante omnes æternæ salutis felicitatem adiungunt; Cum vero pacis tranquillitatem, justitiarumque æquitatem Christiano populo reddideris, omnia hujus terrenæ vitæ incommoda, perturbationesque omnes certissime abutuleris. Hæc enim potissima, solaque illa sunt, quæ si desint, humanum genus non secus ac navis sine gubernatoribus in sævissimo pelago variis ventis commota, omnibus perturbationibus, incommodis, miserisque in hoc mare magnum, & spatiosum hujus vitæ agitur; si vero adsint, omnem humanæ vitæ cursum, tranquillitatis, jucunditatisque plenissimum reddunt, & ad instar cœlestis illius felicissimæ vitæ hanc terreni incolatus nostri vitam effingunt, ita ut, si hæc duo, pacem scilicet, & justitiam Christianis hominibus reddideris, in his, quæ ad hanc vitam pertinent, omnia certe reddidisse videberis, nihilque Tibi reliquum futurum est, nisi ut perfectam Religionis Christianæ observantiam, per quam futuram vitam acquirere possumus, instituere, immo reparare, atque instaurare satagas, ut scilicet Religiosorum hominum ignorantia, superstitione, avaritia, aliisque hujuscemodi Religionis contrariis vitiis depulsis, quæ & illis ipsis Religiosis hominibus, & prorsus omni populo Christiano viam aditumque æternæ Beatitudinis præcludunt; Tu Religionis perfectæ observantiam instaurata, erroribusque omnibus expulsi, viam ad æternæ Beatitudinis felicitatem ostendas, & aditum beatæ, cœlestisque vitæ omnibus pariter Christianis aperias. Et vero vitia, quæ puram Religionis Christianæ observantiam perturbant, Christianæque simplicitatis, & perfectionis mores corrumpunt, & proinde viam, aditumque æternæ Beatitudinis præcludunt, sicut omnia a Religiosis hominibus oriri certissimum est, ita notum est, quædam ex illis esse, quæ a Religiosis in populorum vulgus derivant, quæ scilicet non secus, quam sævissimæ viperæ illos ipsos, a quibus oriuntur, Religiosos viros ante alios miserrime perimunt, totumque deinceps Christianum po-

Append. Annal. Camald. Tom. VIII.

pulum venenis omnibus inficiunt, & quasi communi pestis nemini omnino parcunt; quædam autem, quæ ab ipsis Religiosis orientia, & in illis ipsis quotidie crescentia, quasi infestissimi vermiculi, & mordacissimæ tinea totum Religionis corpus consumunt, & Christianæ Fidei puritatem, decorem, pulchritudinemque corrumpunt. Hæc autem mala omnia, quæ in Christiana Republica pestes quasdam, seu Christianæ Religionis hostes appellare possumus, multa varia, ac innumerabilia pene sunt. Eorum autem maxima, ac sæviora hæc nos esse existimamus, ignorantia, superstitio, dissensio, ambitio, avaritia, divitiarum abundantia, & propriarum regularum, professionumque minor, quam deceat, observantia, quorum superiora duo a religiosis hominibus initium sumentia illis, populisque omnibus communia sunt; reliqua vero illis ipsis, a quibus oriuntur, si ad æternæ vitæ acquisitionem spectes, peculiaria mala existimantur, quoniam Christiano populo æternæ vitæ aditum non præcludunt, præsentis tamen vitæ tranquillitatem sæpissime, & gravissime perturbant. Tu vero, Beatissime Pater, solus es, qui quasi peritissimus medicus a Domino ad familiam suam curandam vocatus, has a Christiana Tibi commissæ Republica pestes amovere potes; & qui solus hos Christianæ fidei hostes, quasi sævissimos intra Dominicum Tibi commissum ovile ab adversario immissos lupos, non sicut mercenarium fugere, sed debellare, & ad nihilum reducere debes, si veri, legitimique Pastoris, non nomen tantum, sed munus in hac peregrinatione implere, & præmium in æterna patria possidere desideras. Horum autem, quæ numeravimus, maximum & malorum omnium caput, causamque ignorantiam esse, nemo est, qui possit ambigere; quæ quidem tanto gravior, periculosiorque infirmitas est, quanto magis in illis vigere comprehenditur, qui non solum scire ipsi debuerant, sed ad alios docendos, & instituendos ordinati esse videntur. Nulla enim pene salutis spes reliqua existimatur, ubi medici, qui languentes alios curare habebant, eadem ipsi infirmitate gravissime laborent. Quanta autem, qualisque nunc in Ecclesia Dei in religiosis hominibus omnibus ignorantia sit, sicut neminem prorsus lateere poterit, ita nullus omnino est, qui pro merito valeat explicare. Millia multa religiosorum hominum invenies, qui neque legere quidem, neque scribere mediocriter sciunt. In omnibus autem tam numerosa Religiosorum multitudine vix duo ex centum, aut decem

uu ij e mille

ē mille reperies, qui tantum Latinæ lin-
 guæ addisceriat, ut quæ Latino sermone
 conscripta quotidie in Ecclesiis legunt,
 plane valeant intelligere; Ex his vero,
 qui intelligunt, paucos admodum inve-
 nies, qui ulterius ad aliquam disciplina-
 rum, atque scientiarum cognitionem pro-
 gressi sint; Ex paucissimis vero illis,
 qui litterarum studiis incumbere quoquo
 modo videntur (rarus quippe est, qui
 non Poetarum potius mendacia, aut Phi-
 losophorum impietatem, quam Christianam
 pietatem amplexus sit) Ex rarissimis
 vero illis, qui veram, solamque Philoso-
 phiam, Christianam Disciplinam sequun-
 tur, vix unum, aut alterum invenies,
 qui non inanissima recentiorum Scriptorum
 argumenta, simulatum sane, odio-
 rumque irritamenta, potiusquam Sacrarum
 Scriptorum, antiquaque Patrum docu-
 menta sectetur; qui non inanibus quæ-
 stionibus, quæ ad nihilum quidem utiles
 sunt, potius quam Sanctorum Evangelio-
 rum lectionibus occupetur; qui denique
 non illam potius vanam, quæ inflat,
 quæ extollit, disputativam disciplinam,
 quam illam sanctam, puram, castamque
 Sacrarum Scriptorum, quæ inflammat,
 & humiliat, doctrinam sequatur. Et si
 unum, aut alterum hujuscemodi reperire
 fortasse poteris, nunquid tantum profecisse
 illum omnino invenies, ut in tota Ec-
 clesia Dei hoc seculo aliquem unum ha-
 beas, quem possis cum antiquioribus illis
 Patribus, quibus Græca, & Latina Ecclesia
 præteritis seculis abundavit, comparare.
 Tanta vero cum sit religiosorum igno-
 rantia, quanta cæterorum hominum in-
 scitia existimanda sit, quilibet facile eli-
 cere potest. Unde certe dolere magis,
 admirari vero minus decet, si multi erro-
 res, ac falsæ plurimæ opiniones a fidei
 veritate alienæ, & multa Religionis,
 Christianæque pietati adversa religiosos istos
 homines, & Christianam plebem occupent,
 opprimantque, & miserabiliter per igno-
 rantia cæcitatem, ad æternarum tene-
 brarum miseriam ducant. Dum enim cæ-
 cum vulgus cæcum religiosorum ordinem
 sequitur, illud evenit, quod a Domino in
 Evangelio dictum est, ut ambo in æter-
 næ perditionis, & miseriæ foveam simul
 dilabantur, & cadant. Huic tamen ma-
 gno malo, malorum, aut omnium, aut
 certe plurimorum origini sapientiam Tuam
 multa jam, efficacissimaque remedia ex-
 cogitasse credimus, ut depravata nunc
 omnium litterarum studia rectius instituan-
 tur, negligentiores quique ad studia pro-
 vocentur, studere volentibus commoda,
 in studiis vero proficientibus præmia pro-

ponantur; Nemo enim est, qui deprava-
 vata, contaminataque, & corrupta peni-
 tus studia emendare, recte instituire pos-
 sit, nisi Tu unus, Beatissime Pater. Quæ
 quidem reparari, & meliorem familiam
 instruere poterunt; si præter eos, qui
 Gentilium litteris incumbunt, Dialectico-
 rum cavillationes, ingeniorum certe de-
 pravationes, quæ sophistica ars appellari
 solet, in qua sine aliqua utilitate junio-
 res & tempus, & ingenium conterunt,
 Te jubente, ita prohibeantur, ut nullus
 sit, qui deinceps eam valeat publice pro-
 fiteri; si tot modernorum hominum com-
 mentaria, quæ nihil aliud sunt, quam
 illa, quæ a veteribus auctoribus diligen-
 tissime conscripta, sunt novis voluminibus
 deterius explicata, in ea potissimum dis-
 ciplina, quæ per quæstiones traditur, lo-
 cum omnino habere non permittantur;
 sed & veteribus auctoribus, his scilicet,
 qui legitime res ipsas pertractant, aliquis
 locus, honorque concedatur, si nemini,
 non dicam scribere, sed edere scripta li-
 ceat, nisi ea fuerint ab aliquibus doctio-
 ribus, qui a Te instituti sunt, approba-
 ta, atque digna, ut edantur iudicata; si
 in omnibus studiis non expositores aucto-
 rum, sed ipsi auctores potius legantur.
 Mirum enim est, & miserabile, quantum
 temporis consumimus, dum expositores
 omnes perquirimus, & nihil addiscimus
 de his, quæ facilius addiscere poteramus,
 si in auctorum potius, quam in exposi-
 torum lectione insudare voluissimus. Hæc,
 Sanctissime Pater, aliaque hujuscemodi
 plurima, quæ Tua, omnibus prudentius,
 excogitare sapientia potest, si indicueris,
 Gentilia etiam ipsa studia multum juva-
 re poteris, quamquam nisi ad divina stu-
 dia, & ad sacras litteras hæc Gentilia
 studia dirigantur, nihil omnino curiosius,
 nihil vanius, nihil sine fructu laboriosius,
 nihil denique a Christianis hominibus ma-
 gis alienum existimari debet, quam hæc
 ipsa Poetarum, Oratorum Gentiliumque
 auctorum studia; unde tunc maxime re-
 cte studia instituire Te iudicabimus, cum
 pueris & ipsis, pro Gentilibus Oratoribus,
 pro Gentilibus fabulis, Christianam verita-
 tem, Christianosque Scriptores proponi
 iusseris. Habent enim & suos Christiani
 historiographos, habent & suos Oratores,
 quos in utraque pariter lingua, Græca
 scilicet, & Latina cum Gentilibus con-
 ferre non erubescimus. Si enim hoc a
 Te iussum fuerit, incipient Christiani ho-
 mines, non linguis addiscendis sine ali-
 quo alio fructu ætatem omnem conterere,
 sed & linguam Græcam, & Latinam,
 ac Christianam simul disciplinam addisce-
 re.

re. Proderit ad hoc, si antiqua illa Sanctorum Patrum, Sacrorumque Canonum Decreta instaurari curabis, quibus tantum est, ut in locis, ubi studia litterarum vigent, sint semper, qui Christianam Theologiam, non hæc Parisiensium cavillosiorem disciplinam, sed puram illam Sanctorum, Canoniarumque Scripturarum Doctrinam doceant; qui scilicet antiquæ legis, & Prophetarum obscura dilucident; qui Sacrum Evangelium, Apostolicasque Scripturas declarare non erubescant. Cum vero omnis Christiana Disciplina duplex sit; alia in qua ea, quæ nos credere, quæ sperare, quæ amare debeamus, doceri possumus; alia vero, in qua quid agere, quid evitare conveniat, unusquisque instituitur; & illa quidem Theologia usitato vocabulo, hæc vero Canonici Juris Doctrina appellari consuevit; non satis Beatitudini Tux videri posse existimamus, nisi utraque eorum rectius a Te fuerit instituta. Decet enim Summum Pontificem & veram illam jamdiu neglectam Christianam Theologiam, cavillationibus, iutilibusque modernorum Scriprorum quætionibus expulsis, & antiquioribus tam Græcis, quam Latinis Christianis auctoribus introductis, ornare atque illustrare, & aliam Christianæ Disciplinæ partem, eam scilicet, quæ ad Ecclesiasticum jus pertinet, emendare, atque in melius reformare. Satis vero partem hanc in melius reformatam fore aliqui existimant, si, Te jubente, jura ac leges non canonicæ modo, sed civiles etiam sine ullo commento, absque omni interprete, in publicis Scholis a Doctoribus legantur, & pure sincereque, ut sonant, intelligantur, interpretenturque. Obscura vero, & dubia si qua in eis inveniantur, ad Pontificis sententiam sine ulla prorsus disputatione deducantur. Tibi vero, Beatissime Pater, qui perfectam in omnibus plebis tuæ reformationem desideras, hoc fortasse satis futurum non est, sed ipsa Decretorum, Decretalium, Sexti, & Clementinarum volumina (quoniam quædam in se aut contraria, aut diversa, quædam sapius repetita, & superflua omnino, quædam pro temporum conditione sapius immutata habere videntur) reformari, instaurarique curabis; & non necessariis riculis amotis, eadem, quantum brevius, lucidiusque fieri potest, unico volumine redigenda sapienioribus, doctioribusque mandabis, ut his omnibus tam multis, tamque perplexis, quæ nunc habemus, cum omnibus expositioribus suis amotis, Christianus populus quid agere, quid evitare debeat, unico volumine instruat.

Super quod nemini liceat expositiones, interpretationes, aut alias quasvis glossulas, nisi de permissione tua, aut scribere, aut scripta habere, aut ullo pacto edere. Proderit etiam ad hoc tam magnum, lateque diffusum ignorantie morbum aut curandum, aut mitigandum, si, Te ita instituyente, nemo Monachi habitum, nemo sacros aliquos ordines suscipiat, nisi Latinæ lingue ita sit eruditus, ut quæ in Ecclesiis leguntur, aperte intelligat, nisi sacras paginas, verus scilicet, novumque Testamentum semel ad minus legerit. Nam indecens, indecorumque est, multos esse in Ecclesia Dei religiosos, multos presbyteros, qui nunquam sacram Evangelii Historiam, quæ admodum brevis est, legerint; cum tamen fabulas multas, inanesque plurimas perlegerint quæstiones; si nemo, neque in seculari, neque in Monachi habitum sacrum Sacerdotis characterem accipiat, nisi sit in Sacrarum Scripturarum Doctrina, in Sanctorum Doctorum, Gregorii scilicet, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, & aliorum scriptis vel mediocriter eruditus; si nullus ad curam aliquam animarum, nullus ad episcopalem dignitatem promoveatur, nisi & Sacræ Scripturæ, & Sacrorum Ecclesiasticorum Canonum, non tam doctoratus, quam recte doctus esse inveniat. Turpe enim, & indecens est aliquem ad animarum languentium curam advocare, qui artem illam, qua possint anime curari, non noverit. Hæc autem facilius fient, si nemini, qui religionis habitum, aut sacri alicujus Ordinis formam susceperit, ulterius liceat Gentilibus disciplinis, nisi pro linguarum erudimentis addiscendis, ullo modo vacare; si Sacerdotes curam animarum habentes singulis Dominicis diebus præcepta Decalogi, articulos Fidei, Symbolum, Dominicam Orationem, & alia de Evangelio, & Apostolorum Epistolis pertinentia ad salutem, aut prædicando, aut docendo, populis, commissaque sibi plebi proponere cogantur; si nemo ad audiendas peccatorum confessiones, nemo ad verbum Dei prædicandum accedere audeat, nisi Sacrorum Canonum & Sacrosanctæ Theologiæ studiis operam dederit, atque in illis fuerit approbatus; aut si nemo sine Tua, Beatissime Pontifex, concessione, quam diligens inquisitio de viri sufficientia præcedat, aut peccatorum confessiones audire, aut publice prædicare præsumat; si prædicatoribus omnibus præcipiatur, ut non quæstiones, non proprias opiniones, non diversas Doctorum sententias, quas non veritatis amore, sed vincendi libidine obstinatius, quam deceat,

deceat, aliquando defendunt, sed sacram veteris, novique Testamenti Scripturam, Sanctos Ecclesiæ Doctores, illa scilicet, quæ ad salutem animarum apertissime pertinent, prædicent, atque declarent, Gentilium Philosophorum rationibus, modernorumque Scriptorum cavillationibus penitus dimissis. Hæc si a Te, Beatissime Pater, & alia hujuscemodi contra ignorantiam malum instituatur, facilius, quam cogitari possit, eveniet, ut religiosi homines ea, quæ ad Christianam pietatem pertinent, cognoscere, & alios docere valeant.

Proderit etiam non minus ad Christianorum hominum miseram incertitiam delendam, si Tu vanas, impiaque divinandis artes, per astra scilicet, aut per quævis somnia, aut signa, & hujusmodi plurima, in quibus multi hominum, & tempus amittunt, & ingenium corrumpunt, & sibi ipsis, aliisque multis salutis aditum præcludunt, ita penitus damnabis, ut omnes harum impiarum, & vanarum artium libri, quorum magna nunc ubique copia est, comburantur; si ex numerosa Ecclesiasticorum librorum copia, qui sine ullo discrimine boni, malique promiscue leguntur, qui digni sunt, in Ecclesia legantur, & a Te approbentur; qui autem minus digni sunt, improbentur; illi maxime, in quibus Sanctorum historiarum, antiquorum Patrum vitæ a veritate alienæ describuntur. Dum enim nunc falsa multa pro veris, perversa pro rectis, a Fide etiam quædam dissentientia pro rectæ fidei institutis in ipsis Christianorum Ecclesiis, in religiosorum hominum conventibus sæpius leguntur, fit, ut non ignorantia solum, sed perversa quadam contra veritatem Christianam obstinatione multi laborent; si quatuor universalium Conciliorum, Nicæni scilicet, Constantinopolitani, Ephesini, & Chalcedonensis volumina, in quibus nostræ Fidei exordia, & fundamenta continentur, quæ Beatus Gregorius non semel, tanquam quatuor Evangelia suscipere, & venerari profitetur; quippe quod supra illa, quasi supra quatuor firmissimas columnas omnis Christiana institutio in ædificium consurgat; si hæc, inquam, aliaque Concilia, Te jubente, ex Bibliothecis Tuis, in quibus ea contineri existimamus, in manus Christianorum hominum impressa exeant. Si enim quasi quatuor Evangelia a tantæ auctoritatis viro existimantur, quantum Christianus populus detrimenti de eorum Conciliorum privatione patiat, facile considerare Beatitudinem Tuam posse credimus. Multa pene, ac innumerabilia sunt, quæ contra hujusmodi

ignorantiæ potestatem excogitari remedia possunt; unum tamen est, quod etsi superioribus contrarium esse videatur, patienter tamen Te audire, Beatissime Pater, optamus, quod (quoniam omnium efficacissimum, communeque omnibus tam religiosi, quam cæteris omnibus hominibus censemus) ultimo loco dicere volumus. Cogitavimus enim sæpius, nihil magis omnes homines de Divinis, humanisque rebus instruere posse, quam Sacrosanctam veteris, novique Testamenti Scripturam, quæ ideo in Ecclesiis quotidie legi ab antiquioribus Patribus instituta est, ut maxima Christianorum pars, qui propter alias vitæ occupationes, aut propter legendi imperitiam, seu etiam propter librorum penuriam (non enim tunc abundabant, sicut nunc, Christiani voluminibus) minus hæc domi legere poterant, ad Ecclesiam convenientes, ibi verbum Domini audirent, quo multum proficere in rerum cognitione, & morum emendatione possent. Legebanturque, quemadmodum credimus, primis illis Fidei temporibus in Ecclesiis Hebraica, seu Græca lingua Divinæ Scripturæ. Inter Hebræos enim Hebraice, inter Græcos Græce legi congruum erat. Immo neque aliter legi poterant, cum totum vetus Testamentum Hebræo, novum vero, præter Matthæum, & unam Pauli Epistolam, Græco sit sermone conscriptum. At postquam multiplicari ex Romanis, Latinisque hominibus credentium numerus cepit, & major jam fidelium pars Hebræum, Græcumque sermonem nesciret, nihilque prodesse Sancti Patres intellexerunt, si Scripturæ in Ecclesiis legerentur, a populo autem minime intelligerentur; temporum ratione hoc postulante, Scripturæ in Latinum sermonem versæ sunt, & Latine in Ecclesiis legi ceperunt. Cum autem nunc ex multis millibus populorum, & magna Sacerdotum, religiosorumque hominum multitudine pauci admodum, rarique sint, qui Latinam linguam intelligant, quid, quæso, prohibet, antiquiorum Patrum mores imitari, & ex minus noto ad notiores sermonem sanctam ipsam Scripturam convertere? Et sicut illi jam ex Hebræo & Græco sermone, in quo conscripta fuerat, in Latinum verterunt, ut Christianus populus, qui Latina utebatur lingua, divina posset præcepta, dum legerentur in Ecclesiis, intelligere; ita nunc ex Latino in vulgarem sermonem conversas Scripturas ad populorum ædificationem legere. Aliter enim quid prodest quotidie Sanctorum Evangeliorum, Apostolicarumque Epistolarum portiunculas in Eccle-

siis, psalmosque decantare, si neque, qui legunt, neque qui audiunt, quæ dicant, intelligunt? Abhorrevere vero, ut quidam, qui se peritissimos solos credunt, ab hac conversione sanæ mentis neminem decet; quoniam si rem ipsam, vimque rationis, potius quam vanam quamdam opinionem inspicimus, eadem omnino est sapientia, eademque doctrina, quæ in Evangelio, & cæteris Scripturis continetur, sive Hebræo, sive Latino, sive Græco, sive vulgari sermone scripta sint. Ad linguarum vero diversitatem si quis inspicere velit, unamque alia digniorem linguam existimare, apertissime videri potest, quod multo magis abhorrevere ab ea translatione debuisse Christiani, quam ex Hebræo, & Græco fonte, ubi primum omnia scripta sunt, ad Latinum sermonem, in quo nihil penitus ex Canonicis Scripturis traditum est, conversa sunt omnia. Quod si illi Sanctissimi Patres, qui ante nos fuerunt, populorum utilitatem, non inane opinionis respicientes, non abhorruerunt, ex propriis linguis sacras paginas ad peregrinum sermonem convertere, minus certe nos abhorrevere debemus, ex una peregrina lingua ad peregrinam aliam transferre. Sicut enim divinis eloquiis peregrinum vulgarem sermonem non dubitamus, ita Latinum peregrinum eloquiis illis penitus esse certissime intelligimus. Si igitur, Te auctore, quæ in Ecclesiis leguntur, quæ psalluntur, aut ubique, aut in aliqua saltem regione, vulgari sermone legantur, atque psallantur jubeatur, mirum in modum prodesse ad cognitionem divinarum præceptorum, morumque emendationem posse existimamus. Cogitet Sanctitatis Tuæ Sapientia, quam multa millia sanctarum Monialium sint, ut religiosorum virorum transeamus innumerablem multitudinem, quæ quotidie ex Scriptura psalmos, lectionesque legunt, & nihil omnino intelligunt; quantum proficerent, si quæ legunt, intelligerent! Omnis enim Scriptura, Apostoli testimonio, utilis est ad docendum, ad instruendum, intelligentes quidem, non autem eos, qui non intelligunt. Cogitet pietas Tua, quanto magis, quam nunc, sancta a populis frequentaretur Ecclesia, quantum fructum divina frequentantes officia ex Ecclesia Domini reportarent, si divina, quæ ibi leguntur, verba intelligerent. Utinam de hac tantum re nobis apud majestatis Tuæ sublimitatem sermo habendus esset. Nunc autem quoniam rudis sermonis prolixitate offendere amplitudinem Tuam timemus, multa præmittimus, quæ ostendere manifestissime possent,

nihil in tota Ecclesia magis necessarium esse, nihil utilius omnino futurum, nihil magis decorum, atque secundum Sanctorum Patrum disciplinam institui posse, quam hæc Sanctarum Scripturarum, quæ in Ecclesia leguntur, ex Latino in vulgarem sermonem permutatio, de qua nunc hæc dixisse sufficiat. Alias vero, si benignitatis Tuæ magnitudo permiserit, plura fortasse dicturi sumus. Quod autem de divinis Scripturis diximus, idem de omnibus aliis conventionibus, venditionibus, emptionibus quæ inter Christianos homines fiunt, intelligi cupimus. Prodesse enim multum ad instruendos de rebus suis homines, ad Latinam miseriam tollendam posse existimamus, si Notarii & Tabelliones ea, quæ rogant, & quæ stipulari consueverunt, materna lingua scribere aperte & clare jubeantur; ut qui contrahunt, & qui testes adhibentur, plene omnia intelligant. Hæc, quæ multi, qui latinæ linguæ peritia gloriantur, graviter audiunt, clementiam, sapientiamque Tuam benigne suscepturam non dubitamus. Intelligit namque Beatitudo tua, ex iis, quæ diximus, quam pium sit, ut Deus, qui tot linguarum diversitate in universo orbe laudatur, hac etiam nostra lingua incipiat laudari. Sciat præterea Sapientia Tua, quod omnes illi, quos superius nominavimus, Christiani populi, qui Asiam, Africamque incolant, & aliqui etiam, qui in Europæ ambitu continentur, materna propria lingua in Sacris Missis, & divinis Officiis utuntur. Neque frustra institutum id esse credimus a Sanctis Patribus, qui ante Te Petri Sedem tenuerunt, ut Bulla, quæ in Cœna Domini legitur, non Latino tantum, sed vulgari etiam sermone ad populi eruditionem quotannis legatur. Si enim ex parvo non exigui instructionis fructus colliguntur, ex maximo quanta colligi messis possit apertissime quisque intuetur. Ex hac ignorantia malorum omnium matre superstitio exoritur, ex iniqua Matre nequior filia. Sicut enim nihil in humana vita recta religione sanctius, nihil omnino melius, ita certe superstitio, quæ vitium contra religionem esse a peritioribus desinitur, nihil deterius, nihil penitus magis impium, atque nefarium est. Tot autem, tantæ, ac tam perverse hæc tempestate vigent inter Christianos populos superstitiones, ut nemo sane aut sermone comprehendere, aut pro merito deplorare valeat. Quidquid enim vanarum superstitionum orbis olim universus habuit, nunc ad Christianos populos fluxisse videtur, Divinationes per astrorum motus, dierum obser-

observationes, somniorum interpretationes, omnium generum vanissimas prædictiones, Chiromantias, Hydromantias, Pyromantias, Geomantias, aliaque huiusmodi tam multa, tam vana, ut neque genera singula facile sit numerare. Quis enim numero aliquo comprehendere poterit innumerabiles pene execrabiles superstitiones, quæ contra religionis Christianæ puritatem pro futuris cognoscendis, pro amovendis, aut auferendis infirmitatibus fiunt? aut quæ sub devotionis, ac religionis umbra impia, sava, ac nefanda perpetrantur? Nam, ut angula quæque perstringamus, omnis potissimum ad harum trium artium imitationem refertur superstitio; ad Divinationem, ad Medicinam, & ad sectarum Cæremontiarum Religionis nostræ observantiam. Nulla enim est civitas, si Christianos nunc populos respiciamus, nulla domus, nulla pene hominis mens est, quæ aliqua ex his tribus generibus superstitione non laboret; & quod dolendum magis est, palam nefandissima multa fiunt, eaque a Christiana veritate ita diversa, ut adversa penitus sint. Et nemo ex tanto Episcoporum numero obstat, ita ut, quod sine lacrymis scribere non possumus, vix aliqua religionis, Christianæ veritatis, ac puritatis apud Christianos populos forma reliqua sit, dum nulla publica, nulla privata, nulla profana, nulla sacra actio sit, quæ superstitione sedata non appareat. Sed hæc ipsa longiori volumine & deplorare, & impugnare instituimus. Nunc vero per Christi Jesu charitatem Te orare volumus, ut quemadmodum perversa hæc emendare solus potes, & ex officii tui munere debes (si Christianæ Fidei, Christianæ puritatis, ut Christi Vicarium decet, zelum habes, ut Te habere non ambigimus) sic velis, & studeas hæc ipsa emendare atque corrigere. Excita, pietissime Pater, contra has impias superstitionum seditates, quæ Christianum Tibi commissum populum jam pene ad apertam Gentilitatem, & Idolorum servitutem deduxerunt, quasi Phinees alter, zelum iustæ indignationis Tuæ, & Astrologorum libros, qui ad divinationem pertinent, ab Ecclesia, a Sanctis Conciliis, Sanctisque Patribus damnatos omnes combure; Astrologique ipsos, & omnes, qui per astorum inspectionem, aut per quascumque alias observationes, futura prædicere audent, qui ab aliis Principibus foveti solent, Tu Dei zelo, & magna in populum Tuum pietatis forma, non spiritali modo, sed temporali etiam gladio, nisi ab impietate sua respiciant, ad mor-

tem usque percutere. Tot somniorum interpretationes, quæ ut facilius incautam plebem decipiant, sub Danielis, sub Salomonis nomine, magnis impressas voluminibus habent; tot vanarum, atque impiarum artium publice venales libros, si pietas, sapientiaque Tua inter Christianorum manus ulterius versari sustinebit, quo confugere valeat, a quo auxilium petere Christiana pietas possit, non videmus. Perquirat Sanctitas Tua illicitarum artium impressa volumina, & inveniet sane tam multa, tam varia, quam vana & impia sint, ut neque credere facile, neque cogitare antea potuisset. Quæ nihil aliud sunt, quam multarum animarum venena, ac laquei inextricabiles, quibus tanto facilius, libertiusque Christianos populos in miseram captivitatem retinere Diabolus solet, quanto hæc a Christianis Pontificibus admitti, & aliquando etiam suscipi videntur, ac si mala non essent, Christiani populi talia non evitare, sed proficui potius assueverunt. Perquirat pietatis Tuæ zelus alterius generis, earum scilicet, quæ ad medicinam referri videntur, vanissimas, scelestissimasque superstitiones, attendatque, quot ab omnibus Christianis hominibus huiusmodi fiant; & inveniet sane, nullam infirmitatem esse, nullum infortunium, quod non propriis execrabilibus superstitionibus mederi atque vitari posse credatur. Quæ enim infirmitas est, quæ non a quibusdam philetariis, brevibus, characteribus, suspensionibus, carminationibus, execrationibus, vanissimisque verbis, aliisque artibus, quæ non secundum medicorum doctrinam sunt, curari posse credant. Sunt, qui audent harum artium publicas officinas habere. Sunt, qui non timent execrabilia hæc populis in plerisque civitatibus vendere. Sed cum Te ad sublimitatem Apostolicæ Sedis sublevatum videmus, cui nihil magis cura est, quam Christianam pietatem omnibus modis fovere, speramus, impia hæc, & Christianæ Fidei inimica nunc demum finem habitura. Non enim Te permissurum credimus a Sacris Canonum Decretis prohibitas ligaturas, breves, suspensiones, incantationes, aliaque huiusmodi pene infinita Christianum ulterius populum corrumpere, Christianam Religionem destrueri; sed præterea, quæ Medicorum ars comprobatur, nihil omnino pro infirmitatibus curandis neque sumere, neque suspendere, aut alligari, neque ullo modo uti permittes. Nam certum est, quidquid aliud, quam quod secundum naturam suam sanitatem inducere valeat, tenetur id superstitiosum, & proinde impium ac cri-

minosum esse. Sed præter hæc tertium omnium detrimentum, superstitionum impiarum genus destruere non dissimulabis, Non poterit enim recta fidei, & pietatis Tuae regula perversa multa, quæ sub devotionis, religionisque umbra sunt, dissimulando sustinere, sed cum viderit tot vanas, non ab Ecclesia institutas caeremonias, insanias sane, & præstigia in omni actione observari; cum adverterit Orationes omnes fore execrationes effectas, dum vanissimis loci, temporis, numeri, modique dicendi observationibus dicuntur; dum hæc, si stans, nam, si prostratus quis dixerit, propriam gratiam vel sanitatis, vel consolationis, vel cujuscumque fortunæ liberationem asserre exultant; dum hæc ab igne, alteram a ferro, tertiam ab inimicis liberare, singulis proprias virtutes tribuentes, affirmant; non poteris certe, non poteris, Sanctissime Pater, has nefandissimas contra veram Religionis puritatem observationes sustinere. Illud etiam forsitan Tibi placere non poterit, quod humana curiositas adinvenit. Nunc enim singulis Sanctis pro singulis infirmitatibus vota sunt, quasi Sanctorum in Cælis distributa unicuique propria sint officia, & singulis singula humana membra tradita sint curanda; Unde Dominus omnium creatorum Pater, omnium infirmitatum solus curator minus invocari consuevit. Atque hæc cum aliis emendare pro Tua Sapientia curabis. Neque omnino id, quod deterius certe est, & nostris temporibus inter plebejos homines maximum jam locum habet, ulterius procedere permittes. Multorum enim nuac populorum opinio est, multique firmissime credunt, hæc tabellam, in qua Christi, vel Beatæ Virginis aut Sanctorum quorundam imagines depictæ sunt, si ad eam recurrant, infirmitatem hanc, illam vero aliam infirmitatem curare exultant; si per civitatem deferatur, pluvias inducere, grandines amovere, serenitatem adducere, aliam, si domi habeatur, fulgura dissipare, nonnullas greges, aut boves fecundare, ut penitus a diversis Ecclesiis, a diversis imaginibus, diversas gratias reportare posse omnis populus credat. Hæc autem qualia sint, nunc dicere omitimus, quoniam sapientiam Tuam latere non potest, hæc ipsa Gentilitatem, idololatriamque manifestissime sapere, & a Christiana pietate quammaxime esse aliena. Ad hæc vero omnia emendanda, Beatissime Pater, prodesse multum posse confidimus, si præstigiatores, circulatores, maleficos, magicisque artibus deditos, divinantes, quos

Append. Annal. Camald. Tom. VIII.

que manuum inspectores, carminatores, somniorum interpretes, & similibus omnium impietatum inventores omnes, magna pietatis zelo (si penitus has omnes superstitiones non abnegaverint) vivos etiam cremandos esse statueris, & illos, qui eos in domum suam pro hujusmodi impietatibus exercendis adduxerint, aut artes illas in se operari permiserint, facultatibus omnibus expoliari, perpetuoque propriæ patriæ exilio multari decreveris, & illorum imprimis destruere, atque delere genus curaveris, qui sub B. Pauli nomine fallacibus, diabolicisque artibus cum serpentibus civitates circumeunt, vendereque, non sancti Pauli gratiam, qua carent omnes, & quæ vendi nequaquam potest, sed diabolicam quamdam artem consuevere, & dum corporibus contra venenorum animalium morsus oblati curati neminem promittunt, populorum animas pestiferis venenis inficiunt; si psalmos, picturas, characteres, phylacteria, pittaciola, breves deferri nullo pacto permittes; si neminem ad ægros curandos, qui medicinam professi non sint, accedere imperabis, nihilque pro quavis infirmitate apponi constitues, quod non secundum propriam naturam, & secundum medicorum rationes curare posse existimetur; si nullas orationes neque deferri, neque scribi neque dici consenties, nisi quæ a sancta Ecclesia, a sanctis ab Ecclesia approbatis doctoribus sunt institutæ, & quæ falso Sanctis adscribuntur (plurima enim hujusmodi sunt) cremanda omnino esse curabis; si illas omnes præcipue manifesto edicto condemnabis, quæ propriis titulis, seu rubricis hanc aut illam sanitatis, aut consolationis gratiam, aut fortunæ liberationem promittunt; si peculiares, votivasque missas, in quibus mille superstitionum genera exercent, absque Episcopi concessionem, neminem celebrare posse institues; si ea omnia caeremoniarum genera, quæ a sancta Ecclesia instituta non sint, diabolicas esse observationes declarabis; si huic vel illi imagini tabellas pro votis, statuasque apponere non permittes; hæc enim & Gentilitatem sapiunt, & vana cum sint, religiosorum hominum mentes ad avaritiam procliviores facilius corrumpunt; si nullam imaginem pro peste amovendam, pro pluvia, aut serenitate impetranda deferri patieris; Hæc enim quantum a rectæ fidei semita, a Christianæ puritatis calle multos aberrare faciant, non Te latet. Dum enim hæc fieri permittuntur, eo jam deventum est, ut picta tabella, in qua Sancti alicujus imago sit, majori honore, atque

xx

revere-

reverentia a multis & fere omnibus suscipiatur, venereturque, quam ipsum Domini Jesu Christi Sacratissimum Corpus; si vota Domino potius fienda, reddendaque esse, Christianam plebem decere volueris; si quicumque fuerint, qui ad alliciendos populos miracula cujuscumque imaginis finxerint, prædicaverint, fallaciisque hujusmodi, & mendaciis in ignarum vulgus invexerint, qui semel, atque iterum admoniti ab his non destiterint, acerbo quovis mortis genere, Te jubente, e medio tollantur; si in Ecclesiis, aut alibi a religionis hominibus spectacula quæcumque seu Gentilia, seu Christiana fieri nullo pacto permittantur; si hæc omnia superstitiosa, vana, impia, a Christianæ fidei veritate aliena, & Christianæ puritati adversa, diaboli laquei, animarum perditiones, quæ tot tam varia, tam multiplicia sunt, ut neque numerari quidem facile possint, a Te cum eorum auctoribus, cum libris, cum his, qui ea aut exercent, aut in se exerceri permittunt, magna severitate condemnabuntur; si Episcopi, qui in suis civitatibus hæc locum habere patiuntur, dignitate priventur; aliter enim tam magnum, tamque in omnes fere diffusum, ulteriusque continue serpentes superstitiosis morbum tollendum esse non existimamus.

Duo hæc mala, de quibus locuti sumus, ignorantia scilicet, & superstitio, & a religionis hominibus initium capiunt, & ex illis a quibus curari habebant, in Christianos populos derivant. Religiosorum enim opus fuisset, nisi ipsi eadem infirmitate laborarent, populorum ignorantie subvenire, eorumdemque sane munus esset, superstitiones omnes amovere, nisi perversa consuetudine institueret potius, ac eas fovere didicissent. Nunc vero, peccatoribus sic facientibus, non religiosorum solum hæc duæ pestes, sed omnem penitus Christianum virorum, & mulierum, nobilium, & ignobilium populum corrumpunt, & utraque earum, non secus ac lethalis cancer, quantum ab origine sua longius serpit, tantum savior, magisque incurabilis efficitur. Illa autem, de quibus dicere secundum ea, quæ proposita sunt, nobis superest, religiosorum hominum magis propria mala esse existimantur, quam quæ diximus; non quod similibus infirmitatibus & qui religiosi non sunt, & ipsi religiosi non laborent, sed quoniam infirmitates istæ ex religiosis ad sæculares homines, aut non penitus derivant, aut si aliquo modo pertingunt, religiosos ipsos magis, quam alios inficiunt atque gravius corrumpunt. In his autem

primas partes tenent dissensiones, discordiæ, divisiones, schismata, separationes. Non enim possumus nunc dicere, quod multitudinis credentium sit anima una, & cor unum, neque etiam una vivendi ratio, neque una de sacris humanisque rebus opinio; sed, ut exteriora etiam, qualia interiora sint, ostendant, neque habitus forma, neque color unus, neque sacrorum officiorum, atque caeremoniarum idem ritus, ac norma; Quæ quidem divisiones, ac diveritates, partim ex animorum dissensionibus oriri, partim vero easdem ipsas animorum discordias parere, atque fovere existimamus. Has autem delere Tibi per facile futurum est, Beatissime Pater, si ad hæc intendere alia minus fortasse necessaria, aut minus certe pastoralis curæ dignæ occupationes Tibi permittent. Si enim omnes Clerici, Monachi, Sandimoniales, alique cujuscumque conditionis viri, qui divina officia celebrare aut professione tenentur, aut devotionis gratia volunt, uno tantum modo, unica tantum forma divinas laudes perfolvant, Missas celebrent, aliasque caeremonias observent; si omnis Ecclesia una Dei eisdem semper Sancti memoriam non dispari celebritate concelebrat, illis exceptis, in quorum titulis Ecclesiæ erectæ sunt, in quibus festivitatis, celebritatisque dissimilitudo conceditur; si de religionis hujus, vel illius præstantia, excellentia, ac puritate, de Sanctorum, a quibus institutæ sunt, aut qui in ea floruerunt, dignitate, & gloria, omnis disputatio, ac controversia sub anathematis pœna amoveatur, in quibus miseris contentionibus eo humana pervenit audacia, ut non formidet hunc, vel illum religionis institutorem tantum aliis Sanctis hominibus proponere, ut Christo Domino, magnis impressis voluminibus, comparare, & comparando æquare, immo potius præferre præsumat; & qui fidei propugnatores esse gloriaantur, dum hoc dissensionis spiritu misere agitantur, his & hujusmodi vanitatibus omnem fidei pietatem corrumpunt; si quoties ad rogationes publicas religiosi ordines procedunt, non aliqua dignitatis ratione, sed forte potius, quæ per Episcopos mittatur, modo hic, modo ille ordo præcedere incipiat instituat; si nullus ordo, nulla congregatio sit, quæ amplioribus, dignioribusve, quam reliquæ omnes, apostolicis, atque aliis gaudeat privilegiis, sed omnibus & in confessionibus audiendis, & in prædicando, & in aliis religiosis officiis œbundis æqualia munera concedantur, singulis sane secundum proprias institutiones; si omnes sub

Sancti

sancti Benedicti regula militantes habitum formæ colorisque ejusdem forte gerant, eademque denominatione, sancti scilicet Benedicti, Monachi appellari jubeantur, ut tot habituum diversitates, tot variaz denominationes amoveantur, si hoc idem ab illis, qui sub B. Augustini, aut Francisci, aut aliorum Sanctorum regulis professi sunt, observari instituat, si disputationes de B. Virginis Conceptione, de Christi Sanguine, an in terra aliquid ejus remanserit, & de his similibus, quæ inter diversos ordines obtinatus, quam deceat, agitantur, ita amoveri penitus statuatur, ut de illis vel loqui, vel scribere, vel quovis modo disputare, anathema censetur; si in his, in quibus Johannes Scotus Beato Thomæ contradicit, aut alii similiter Doctores ad invicem dissentiant, in illis dumtaxat, quæ ad fidem spectare videntur, cujusvis sententia sit ab Ecclesia suscipienda, ita definiatur, ut opposita omnino damnabilis judicetur; si omnes, qui sub eadem regula pertinent, in victu, vestitu, & aliis omnibus vitæ muneribus, eandem formam, modumque eundem tenere cogantur; si declinantes Monachi, aut religiosi quique viri ad aliquod Monasterium, quamdiu in illo fuerint, hospites licet censeantur, fratrum tamen ibidem commorantium more vivere, & omnia munera obire teneantur; si omnium religiosorum cujuscumque ordinis bibliothecæ ita omnibus religiosis communes efficiantur, ut in eas omnibus ingredi liceat, & ex eis, chirographo, pignoreque pro librorum existimatione relicto, libros quoslibet asportare, & statuto tempore pro librorum magnitudine eos apud se habere; si ambulantes simul, aut navigantes vel ad quodcumque hospitium diversantibus diversorum ordinum fratribus, communis semper, eademque, Te jubente, sit mensa; si religiosus, cuiuscumque ordinis sit, qui suum ordinem, aut monasterium scripsit, aut verbis aliis præferre, aut aliquem alium calumniari, atque damnare religiosum ordinem, aut monasterium præsumpserit, excommunicationis sententiam incurrat, aut alteri gravi pœnæ subiaceat; nulla tamen fortasse congrua magis videri poterit, quam si ex eo ordine, quem aliis præferre ausus fuerit, ad illum, quem damnare non timeat, ita transire cogatur, ac si speciali voto cum professus ordinem fuisset; si alia de causa, aut ex nullo ordine ad alium ordinem, aut ex omnibus ad omnes transire religiosus permittatur; si qui reformari ad veram observantiam ordines non possunt, omnino destruantur, & loca eo-

Append. Annal. Camald. Tom. VIII.

rum observantibus cedant; si hæc inquam, aut his similia, quæ aut a Sapientia Tua prudentius, saniusque cogitabantur, aut ab aliis, qui rectius, quam nos hæc judicare possunt, Tibi suggerentur, apostolicis firmissimis definitionibus, gravissimisque animadversionibus decernantur, ac statuatur, omnes inter religiosos homines dissensiones, discordiæ, ac schismata e medio facile ita auferentur, ut non multum ac pene innumerum, ut modo sunt religionis ordines, congregationesque, sed unus omnium ordo, unaque congregatio, & omnium cor unum, & anima una, sicut una fides, esse videbitur. Tu vero, Beatissime Pontifex, & Domino, qui Te ad hanc dignitatem vocavit, & hominum expectationi, hoc etiam munere satisfacies, neque invicta illa animi Tui fortitudo, quæ difficillima, & ardua quæque superavit, in hoc postremo, quod facillimum esse credimus, deficiet, sed omnia perficies, quæ ad singulos Ecclesiæ ordines ad puram conversationis sanctitatem ac regularis observantiz probitatem reducendos, opportuna, ac necessaria esse cognoveris, & quasi bonus agricola, postquam ex agro Dominico, cui colonus es constitutus, vitiorum spinas, malarumque consuetudinum sentes avulseris, ac eradica-veris, tunc demum virtutum semina sparges, & optimorum quorumcumque morum furculos plantabis, irrigabisque contine; quibus certe Deum incrementum postmodum daturum speramus, ut ex tuis laboribus, & in hac vita, & in futura quoque beatitudine fructum amplius etiam quam centesimum recipias.

Quoniam autem novit Beatitudo tua, nullum decretum, nullam legem tantum valere ad subditorum emendationem, quantum optimi Principis sanctissimos mores (Principum enim exempla magis multo, quam leges movere animos solent) Ideo a Temetipso incipies, reliquæque malarum consuetudinum ab aliis quibus præteritis Pontificibus nimium attrita via, ad rectam semitam pontificalis dignitatis ordinem reduces. Neque enim aliter Te facere posse ullo modo credimus. Qui enim ad pastorem amplitudinem, eo ordine venisti, quo veniendum esse ille optimus Pastor Beatissimus Gregorius descripsit, & primam pastoralis regulæ ejus partem optime implesti, & reliquas etiam implere Tibi curæ futurum existimamus. Neque enim Tibi satis esse ullo modo poterit, rite, recteque ad pastorem apicem ascendisse, nisi in eo Tu recte vivas, & alios recte vivere, aut prædicationibus, aut exemplo

aut optimis institutionibus doceas, & Te demum cognoscere velis. Hæc enim quatuor illa sunt, quæ pastoralis regula adimplenda esse admonet. Quæ enim Tu ad unguem observanda tibi metipsi proposueris, jamque universo pene terrarum orbe testimonium perhibente, ad pastorem dignitatem rite, recte, ac legitime ascenderis, primum perfectissime implevisti; reliquum itaque erit, ut & tres alias hujus magni muneris Tui partes adimpleas, recte scilicet vivere, ad bene beateque vivendam, aut verbo, aut exemplo, aut rectis optimisque institutionibus reliquos instruere, & temetipsum demum cognoscere; & sic qualis esse debeat optimus pastor, Te abundantissime præstabis. Dimittimus necessarias Pontificis virtutes recognoscere, quæ Te sæpius legisse credimus, memoriaque non solum mandasse, sed & eas etiam vitæ integritate, morumque sanctitate perfectissime attigisse.

Neque tamen hoc Tibi satis esse potest, nisi Romanam Curiam, omnes Cardinalium, Episcoporum, & Clericorum ordines, universas Religiosorum virorum ac mulierum congregationes, quaslibet Christianorum populorum multitudines, Tuo exemplo, Tuis admonitionibus, prædicationibus, institutionibusque eadem, quæ Tu sapere, eadem facere, eodemque modo vivere doceas, & quamquam per Temetipsum, incumbentibus Tibi majoribus negotiis, Verbum divinum prædicare non possis, Tui tamen candidissimi mores, Tua Sanctissima Decreta pro magna, efficaciæque prædicatione habenda sunt, Tuæque illa recte censei prædicatione potest, quæ, Te jubente, per alios impleatur. Cum enim Tu omnium sis fidelium caput, & omnes Christianæ Religionis ordines, non nisi quædam hujus capitis membra esse videantur, quidquid per quoscumque alios facis, per Temetipsum facere videris. Hæc igitur Tibi, Beatissime Pater, potissima semper cura futura est, sollicite scilicet curare, ut singuli Ordines sua munera impleant, singula membra suas legitimas, propriasque operationes habeant, & nulla sit Christianorum hominum conditio, quæ non propriam vivendi regulam, propriam institutionis normam diligenter custodiat, quoniam, sicut quidquid in tota Ecclesia, Te moderante, boni efficitur, illud Te fecisse, bonique illius operis mercedem expectare non ambigimus, sic sane quodlibet conjugumque ordinis peccatum ad Te attingere existimamus; non enim culpæ expers caput esse potest, ubi membra ipsa, quæ capitis imperio subiecta sunt, proprias institutio-

nes non recte servant; neque illi, qui aliis præpositus est, satis esse potest, se immaculatum ab omni peccato custodire, nisi & illos, quibus pro tempore præest, propria quæque, inlicita servare magna satagat sollicitudine; quoniam qui subditorum errata corrigere, atque emendare negligit, & consentire, & peccata aliorum consentiendo propria facere, & viam delinquendi indulgentia aperire videtur; & cum miserum omnino sit propriis peccatis æternæ felicitatis beatitudine privari, miserimum sane erit, non propriis, sed aliorum vitiis æternæ damnationis poenam subire. Cum igitur temetipsum, Sanctissime Pater, secundum interiorem, exterioremque hominem, jam multo tempore ita formaveris, ut Deo per interiorem pulcritudinem placere, hominibus vero per exteriorem virtutem optimorum exemplorum lumen ostendere possis, reliquum est, ut ad aliorum vitas diligentissime considerandas, & exactissime corrigendas convertaris. Quid enim Episcopi nomen importet, neququam Te latere credimus, & Bernardum, non Eugenium modo, sed omnes in Eugenio Pontifices admonere nosti, ut non se tantum, sed & quæ circa se, & quæ sub se sunt, considerare diligentissime velint. Dimittimus ea, quæ supra nos sunt, quæ quarto ab eo loco annumerantur, recensere; quoniam de his non attinet nunc aliquid dicere; sed illud nunc agimus, ut Te summis laudibus extollamus, qui non solum talem temetipsum, qualem optimum Pontificem Maximum Christi Vicarium, bonumque Pastorem decet, omnibus Christianis præstas, sed maximas curarum sollicitudines subire paratus es, ut possis omnes Dominicæ oves per quæcumque devia aberrantes, ad viam sanctæ conversationis, & Christianæ puritatis adducere, & parare Domino plebem perfectam, & Christianam, cui præes, Ecclesiam universam virginem castam exhibere Christo; quod te minime facere posse credimus, nisi sic omnium in universum curam suscipias, & singulorum ordinum, & singularum personarum non minor Tibi sit sollicitudo; sic singulos quoque ordines, singulos quoque homines corrigendos, emendandos, instruendosque Tibi proponas, ut universorum cura nequaquam imminuatur; oportet enim (credimus) Pontificem summum, Deum Optimum Maximum imitari, qui sic & universis hominibus providet, & singulis studet, ut omnium optimus, & singulorum piatissimus Pater esse cognoscatur. Quod cum Tu, quantum humana conditio patitur, implere

implere desideras, omnes ecclesiasticos ordines ante mentis Tue oculos statuisti, & singulorum errata considerando, magna illius sapientiae & pietatis Tue institutione, & omnibus & singulis saluberrima remedia preparare non dissimulabis.

Cardinalium ante omnes ordo sese Tibi offert, qui non solum sub Te, & circa Te, sed intra Te quodammodo esse videntur; fratres enim eos Tuos appellas, & sunt, cum quibus pontificalis curae onera dispartiri mos est. In horum ordine, si quid aut temporis injuria, aut aliquorum pontificum indulgentia, ne incuriam dixerimus, vitium inolevit; si propter maximam, quam post Te iste ordo auctoritatem ac potestatem habere videtur, ad aliquam peccandi libertatem delapsus est; si sint ex eo numero aliqui, quibus quaecumque liberant, eadem sibi licere videantur; si ad illud aliqui forte pervenerunt, ut dum neque peccare erubescunt, & Dominum offendant, & hominibus scandali ruinæque occasionem præbeant; nihil enim magis Divinae Majestatis bonitatem spernere, magisque irritare existimamus, quam illorum peccata, qui alios a peccatis coercere deberent; nihil magis hominibus peccandi occasionem præstare censemus, quam majorum exempla virorum, & eorum maxime, qui ideo a Domino super ecclesiasticæ dignitatis candelabrum erecti sunt, ut quasi ardentes lampades per bonorum operum lumen omnibus, qui in hac universæ ecclesiæ domo sunt, lucentem suo exemplo veræ religionis & pietatis semitam demonstrent; si non majora crimina, sed vel minima aliqua macula hunc dignissimum præstantissimumque ordinem deturpet; quoniam in tam excellenti ordine minimum esse nihil omnino potest; peccata namque etiam ipsa, quæ in humili abjectoque homine parva existimari solent, in his, qui sublimiores sunt, maxima reputantur, & quanto aliis dignitate antecellunt, tanto eorum turpia atque deformiora sunt vitia. Si aliquid hujusmodi hic Celsitudini Tue proximus Ordo patitur, Tu vero, si quæ patitur, non intelligis, timendum sane est, ne pro maximo Tibi a Domino peccato imputetur, quod pretiosa hæc Domini Jesu membra, nobiliorem Ecclesiæ partem, sublimiorem ordinem, Tibique viciniorem vel tantillum dedecoris pati permittas. Tu, quem in Pastorem Episcopum animarum suarum elegerunt, si aliqua parti laborantem, minimeque sanum ordinem negligas, Tu temetipsum alienum a culpa existimare vix poteris. Si enim eos, qui a Te solo cu-

randi instruendique sunt, quippe, qui aliam, præter Te, in terris superiorem non habent, aut gratia, aut amore, aut timore, trepidationeve aliqua, aut alia quavis ratione curare dissimulabis, illi, a quo curabuntur? & quinam futuri sunt, qui curæ Tue pietatem aut sentire possint, aut sperare audeant, si viscera ipsa Tua, fratres Tuos, quos quotidie vides, cum quibus communi labore omnia Ecclesiæ sanctæ Dei negotia tractas, quos aut Tu tibi elegisti, aut illi Te in Pastorem & Principem delegerunt, si forte, quoniam & ipsi homines sunt, aberrare quoquomodo eos contingat, ad congruam dignitatis eorum sanctitatem deducere, non omni cura & sollicitudine invigiles & labores? Quomodo, qui & dignitatis ratione & officiorum diversitate & locorum distantia ita a Te longe absunt, ut pene extranei dici possint, licet nullus omnino Christiani nominis, nullus humanæ naturæ particeps a Te extraneus sit, suorum errorum correctionem sperare poterunt?

Quoniam autem hunc Cardinalium ordinem nimio beneficiorum honore & onere, rerumque omnium affluxu & abundantia, si quid aberrant, aberrare credimus, eorum saluti maxime conducere existimamus, si firma irrefragabilique sanctione decreveris, Cardinalibus nullum deinceps beneficium, eorum titulis dumtaxat exceptis, conferri posse. Et ne a Te summo eorundem pontifice debitis pro suprema Cardinalatus dignitate stipendiis defraudentur, consulentes Tue & eorum utilitati, valde congruum fore judicamus, si certis pensionibus, nequaquam imminuto publico ærario, omnes alantur; quas pensiones Tu, Beatissime Pater, beneficiorum omnium habita ratione, quotannis diligentissime exigendas curabis. Hæc autem, Beatissime Pater, per excessum quemdam illius caritatis, quæ modum aliquem servare nescit, nos dixisse, Beatitudinem Tuam existimare putamus; non quod in præstantissimo Eminentissimoque hoc Cardinalium ordine minimum aliquid minus rectum, aut minus decens inesse suspicemur. Non enim nostrum est, sinistram aliquid de tanti ordinis maiestate suspicari, sed quoniam, si fortasse macula aliqua in tanta dignitate esse contigerit, Te, Sanctissime Pater, vigilem, sollicitum, magnanimum, intrepidum, magno caritatis zelo succensum, in eorum quamvis minimo errore correctorem opramus. Tu, quoniam ex horum paucorum vivendi relictitudine, universæ Ecclesiæ salus pender, Tu, quem nihil uti-

lius

lius illis facere posse fecimus, neque quam majorem illis gratiam referre valeas, qui te in Pontificem elegerunt, intelligimus, quam si errantes ab errore revoques. Cum enim errorum omnium animi sit infirmitas major quam corporis, majorem certe illis gratiam habere debemus, qui nos ab aliquo errore, quam qui a quavis corporis infirmitate liberaverit. Neque Te aliter Domino obtemperare posse videmus, qui semel quidem Petrum, Te vero semper, si illi cordis Tui aures libenter accomodaveris, admonet, ut conversus confirmes fratres Tuos, pro quibus sane Tua pastoralis cura majori sollicitudine invigilare debet. Quoniam si hi a Te omnes tales non fuerint, quales esse oportet, nullam in ceteris inferioribus ordinibus propriarum regularum observantiam futuram suspicari non sine ratione possumus. Si vero tales sint, quales hæc suprema dignitas exoptulat, nulla ceterorum ordinum sollicitudo Beatitudini Tuae relinquatur; nam illis pro Te inferiorum ordinum curam, sollicitudinemque subeuntibus, nullus omnino erit, qui vel tantillum ab institutionum suarum semita aut temere audeat, aut impunis valeat aberrare.

Archiepiscoporum enim & episcoporum ordo, si, Te jubente, Cardinalibus ita subiciatur, ut singulis annis, aut quolibet saltem triennio apud ipsos Cardinales rationem villicationis suæ reddere episcopi omnes teneantur, & sub eorum judicio, an aliter, quam Episcopum deceat, vixerint, & ministerium suum non impleverint, quique commissam sibi plebem non visitaverint, non verbo & exemplo recte vivere docuerint, dignitatis privatione puniri, & perpetuo carceri ad panem doloris comedendum emancipari timuerint, facile eveniet, ut illi, qui episcopali fulgent dignitate, episcopi etiam condignos mores habere studeant; & qui congaudet honore ministrarum, onera quoque portare non recuset. Si itaque pro ignorantia, superstitione, ambitione, avaritia aliisque hujusmodi vitiis, quibus multos hujus ordinis viros laborare non ambiguum est, vult Beatitudo Tua, Sanctissime Pater, his vitiis oppositas virtutes in hoc ordine inducere, optatque pietas Tua, ut omnes Ecclesiæ tales episcopos habeant, quales esse oportere Episcopos Divinus nobis sermo demonstrat, sine crimine scilicet, non superbos, non iracundos, non vinolentos, non litigiosos, non percussores, non turpis lucri cupidos, sed irreprehensibiles, sobrios, continentes, ornatos, prudentes, pudicos, hospitaes, do-

ctores, benignos, justos, sanctos, divina præcepta & sacre scripturæ disciplinam amplectentes, qui possint Fideles in doctrina sana cohortari, & eos, qui contradicunt, arguere; oportet, ut credimus, Te ante omnia invigilare, ut, Te ecclesiam Dei moderante, nullus ad hanc dignitatem ambiendi sollicitudine, Principum gratia, importuna Tui vexatione, aut alia quavis non legitima ratione, sed sola vitæ integritate, morum sanctitate, Divinarum Scripturarum doctrina ascendat. In monasterio, ait quidam, omnes recipiendi sunt, spe proficiendi & meliorandi; ad episcopatum vero non sunt admittendi, nisi qui antea eo ordine digni sunt; nisi enim qui ad episcopatum veniens eas secum virtutes attulerit, quas habere episcopum oportet, quid de eo sperandum boni sit, non videmus; cum illos, qui mali antea sunt, dignitates non corrigere, sed depravare potius soleant.

Post hæc cura futura Tibi est, ut frequenter a Cardinalibus, aut a dignissimis integerrimisque familiarium Tuorum Episcopi visitentur, & ad eorum vitia cognoscenda clerus populisque illis commissus diligenter inquiretur, libenter audiatur, si in aliquo deliquerint, si negligentius, quam episcopos deceat, munera sua impleverint, & tunc corrigantur, & si opus erit, ea, quam recte possidere neglexerunt, dignitate priventur; & pro criminum enormitate, si quæ in illis apparuerint, gravius etiam plectantur. Discent profecto, qui a Te, aut a Tuis legatis frequentius sic visitentur, & sollicitè corrigantur, clericos, sacerdotes, & omnes, qui sub illis sunt & ipsi visitare, examinare atque corrigere, & quales illi sint, quibus manum imponere habeant, diligentius inquirere. In quo sane negotio multum profuturum sperare possumus, si Tu, Beatissime Pater, episcopis omnibus juseris, ut nemini nisi bene nato riteque educato, nisi bonæ indolis, nisi bonis moribus prædito, nisi pro ætate mediocriter literis instituto, minores ordines conferant; neminem nisi probatæ virtutis atque doctrinæ ad sacerdotalem dignitatem assumant, & cui insuper de officio aut beneficio, ex quo victui & vestitui necessaria habere possit, provisum sit; quod in Germaniæ partibus fieri solitum est. Multos enim nunc sacerdotes videmus, qui miseria, quæ premuntur, paupertate vitæ, urgentibus necessitatibus, ad minus sacerdoti congrua negotia, ad illicitas quasque artes, ad turpissimam quamlibet vivendi rationem descendunt, & eo.

& eorum fidei commiffam populorum curam aut ignorantia implere nequeunt, aut aliis occupationibus diftracti negligunt, aut, quod deterius est, propria etiam pravitate eos corrumpunt, quos corrigere, atque ad meliora studia invitare debebant. Quæ quidem non acciderent, fi pafior & epifcopus fuper eos invigilaret, & ignavos ac vecordes & vitios obvolutos ad facerdotium non admitteret; fi quotannis aut etiam fæpius in anno clericos fuos epifcopus vifitaret, admoneret, argueret, increparet, corrigeretque. Legimus olim, quod ad facerdotalem ordinem non admittebatur quifpiam, niſi, præter alia plura, omnes Prophætæ pfalmos memoriter teneret, & qui ex pfalmore numero aliquem memoriz non mandaffet, difficillime a fummo Pontifice ad Sacerdotium admittebatur; nunc vero miraculum reputatur, fi quis ex facerdotibus aut omnes, aut aliquos pfalmos memoriz tenere reperitur, cum & multi ſint, qui neque legere illos commode valeant. Olim poſt monaſterii diſciplinam, diuturnamque probationem, ad Sacerdotalem dignitatem, ad majoris ſcilicet perfectionis gradum aliquis evocabatur; nunc autem quifquis ex facerdotali ordine ad monaſterium convertitur, multum profeciſſe exiſtimatur, non quod in monaſteriis ſit nunc perfectior, quam olim fuerat diſciplina, ſed quia, qui perfectiſſimus eſſe in eccleſia facerdotalis ordo ſolebat, paulatim ita defluxit, ut imperfectiſſimus pene omnium effectus ſit, & plurimorum ex eo ordine vita turpior, quam laicorum ſeu ſecularium hominum appareat. Hæc autem omnia ſingulorum membrorum, ſingulorum ſcilicet ordinum infirmitates a Capite ipſo, a fummo ſcilicet pontificibus ortum habere facile quilibet intueri poteſt. Sunt enim ſic hæc ad invicem ſingula membra conjuncta capiti ſuo, omnia ſimul ſubjecta, ut qualem ſuperiora membra mediis ſanctatem, robur & decorem præſtant, talem, quæ media ſunt, inferioribus ſubminiſtrant, ſuprema vero illa talem omnino præſtant, qualem ipſa a capite recipiunt; qualem pontifex circa Cardinalium vitam & diſciplinam curam & ſollicitudinem habet, talem illi circa epifcoporum mores cuſtodiant, & qualem epifcopi a ſuperioribus ſuis curam recipiunt, talem his, qui ſub eis ſunt, clericis ſcilicet & facerdotibus impendunt. Sic enim in hac eccleſiaſtica hierarchia ordo ſe habet, ut illo, qui ſupremam ſedem tenet, languefcente, inferiores omnes ordines agrotare necesse ſit; eo autem convaleſcente, ſingula paulatim mem-

bra, ea etiam, quæ inferiora & infima ſunt, convaleſcere ſoleant. Quare, Sanctiſſime Pater, cum totius eccleſiaſtici Deo militantis exercitus ſalutem aut infirmitatem Tibi imputandam eſſe non ambigis, maxima Tibi vigilandi neceſſitas incumbit, ut a Te ante omnes, & domus Tuæ familia, in quam omnes intuebuntur, rectæ inſtitutionis, ſanctæque converſationis exemplum omnes inferiores ordines accipere poſſint.

Familiam autem domus Tuæ, de qua dicere pene exciderat, omnes ſuperiores, medios, inferioresque ordinis intuitus eos diximus, quoniam Teipſum intueri non omnium eſt, quomodo qui in domo Tua verſantur, ita eos aliud a Te non exiſtimant, ut qui illos intuebuntur, Te videre exiſtimabunt, nam neque umbra figuram corporis, neque cera annuli imaginem expreſſius exprimunt, quam familiares domus principis vitam exprimere ſoleant. Ex domo autem, ſive recte ſive perverſe inſtituta ſit, principis vita & diſciplina in totam civitatem diſſanditur, & ex civitate in univerſum ejus imperium ſpargitur. Quare cum Te ſanctiſſimis moribus ornatum, omniumque virtutum inextimabili pulcritudine decoratum videmus, talem futuram domus Tuæ familiam credimus, & Cardinalium ſuperiorem, Epifcoporum medium, Clericorum ac Sacerdotum inferiorem ordinem cito ſimilem videre ſperamus. Te enim paſtoralis dignitatis regulam diligenter ſervante, & ſedulam de omnibus ſollicitudinem habente, reliqui certe ordines ſuas ſunt inſtitutiones ſervaturi, religioſorum maxime virorum & mulierum, quibus Te, Beatiſſime Pater, ſpeciali innata caritatis Tuæ prærogativa, majori quodam amoris affectu devinctus es. Semper enim religioſos omnes ordines, dum in minoribus ageres, fovete, ornare, beneficiisque cumulare contendisti; unde in maximam ſpem bonorum religioſorum animas erexiſti, poſtquam Te ad ſupremam dignitatem aſcendiſſe intuentur, & veteris in religionem charitatis minime oblitum eſſe exiſtimant, ac Tuo nutu ſtatim univerſos religioſorum ordines reformandos expectant. Non enim minus, quam ceteri omnes, immo & multo fortasie magis a regularum obſervantia, a rectis patrum inſtitutionibus ſinguli fratrum, & ſanctimonialium monacharum ordines aberraverunt, & quamquam alios quidem magis, alios minus a recta ſemita declinaverint, nequaquam tamen dubium eſt, omnes non mediocriter declinaſſe, & pene inutiles factos eſſe. Tuum igitur erit, Beatiſſime Pater,

Pater, speciali quadam cura religiones omnes ad perfectissimam regularum suarum observantiam, & sanctam antiquiorem illam conversationem adducere. Quod si facere semel decreveris, nullum in hoc Beatitudo Tua laborem, nullam difficultatem sentiet, quoniam licet longius for- tasse, quam reliquos ordines Ecclesiasticos, a sancta sua antiqua institutione monasticos ordines discessisse inveni- as, ceteris tamen faciliore ad qualemcumque correptionem atque emendationem recipiendam reperies; neque enim contradicere volun- tati Tue, neque mandata Tua spernere, neque correptionem ex pietatis Tue ma- nibus minus libenter suscipere recusabant, immo quasi mollem ceram sese imperiis Tuis præstabant, & ad qualemcumque eos formam deducere volueris, eam facillime ac libentissime suscipiant. Tuum igitur est, Beatissime Pater, si recte existima- mus, omnes religiosos ordines inspicere, omnes religiosorum virorum ac mulierum regulas, institutiones & vivendi rationes considerare; multæ etenim sunt ab invi- cem diversæ religiose vivendi institutio- nes, & quotidie nova aliqua resurgere videtur novæ religionis forma, & omnis pene civitas, præter communes, peculia- rem habere videtur religionis ordinem, nullaque est sanctorum Patrum regula, sub qua non multæ diversæque militent reli- giosorum virorum & feminarum congre- gationes. Ut enim ex una ceterarum om- nium conjecturam capiamus, sub unica beati Benedicti regula quamplures mili- tant Manachorum ordines, & quilibet in semetipso minoris ac majoris observantiæ divisionem experitur. Has Tu tantam- varias multiplicesque regularum & insti- tutionum diversitates considerans, & si- ngulas, quales sint, linceis illis mentis Tue oculis prospiciens, ante omnia ea, quæ approbationem Apostolicæ Sedis me- reri videbuntur, si ante Te approbatæ fuerint, confirmabis; sin minus, Tu pri- mus approbare non dissimulabis. Sunt enim aliquæ, quæ recte institutæ existi- mantur religiones, quibus, in quantum non adhuc ab Apostolica Sede approbatæ videantur, non ita libenter simpliciores mentes acquiescunt. Quas autem minus recte institutas, & proinde minus dignas, ut Apostolicæ Sedis & autoritatis virtu- te confirmentur, existimabis, eas palam improbare, manifeste damnare, destruere, atque ad nihilum redigere Beatitudinem Tuam non pigebit. Sicut enim nihil om- nino sanctius in universa ecclesia existi- matur, quam rectæ religionis institutio, ita nihil penitus detestabilius inter Chri-

istianos reperitur, quam perversa aliqua sub religionis nomine vivendi institutio. Si quæ vero earum erunt, quæ bonis multis institutionibus perversum aliquid unum, aut non multa permixta habeant, eas Tu, Piissime religionum Pater, cor- rigere ac emendare, sicque postea appro- bare, potiusquam destruere aut improbare non refugies, confirmandas a Te non so- lum; quæ olim ab Apostolica sunt Sede approbatæ, sed & quasdam alias recte institutas non ambigimus. Aliquas tamen improbandas esse credimus, quoniam per- versas sub religionis nomine institutiones Sanctitatis Tue relictio ecclesiam sanctam Dei contaminare non patietur. Non- nullas etiam corrigendas, atque Sapientiæ Tue judicio in melius reformandas spe- ramus. Quæ autem sint approbatione, quæ damnatione, quæ reformatione dignæ, dicere non audemus, ne in messem alienam falcem ponere voluisse temerario ausu videamur. Hoc unum tamen tace- re non possumus, quasdam esse institutio- nes, quas sacri canones damnant, quas singulis annis in Cæna Domini ecclesia improbat, atque anathematizat, sicut Be- guinarum ordo, qui in Gallia viget, aut eorum, qui Fraticelli de Opinione appel- lantur, qui Sabaudiam Pedemontanamque regionem misere corrumpunt. Alias præ- terea institutiones esse credimus, quas non Deo militandi gratia, sed ut per mille fallaciarum genera homines facilius decipiant, multi suscipiunt, qualis eorum exi- stimatur, qui nudis pedibus, non velato capite, sacco induti, nulla certæ institu- tionis norma per secularium domos dis- currunt; quos prudentissimus ille senex Hieronymus, post multas illorum falla- cias atque perversos mores, quos recitat, tandem Satanæ Apostolos vocat. Hujus- modi, Sanctissime Pater, institutiones, si quæ sunt, quæ hæresim sapiant, quæ su- perstitionibus sedatæ sint, quæ non Deo, sed diabolo militare videantur, improba- re atque destruere magnum pietatis opus existimabis. Si enim has quasi zizaniæ e Dominico agro evulseris, bonis institutio- nibus, rectarum scilicet institutionum reli- gionibus uberiores crescendi locum dabis, & a multis erroribus atque deceptionibus Christianam plebem liberabis.

Post hæc illud statim mentis Tue ocu- lis occurret sub quarumcumque approba- tissimarum regularum rectarum institutio- num vexillo aliquos militare, qui quo- niam eas ipsas regulas & institutiones servare nituntur, Observantes appellan- tur, aliquos vero, qui, quoniam præter hoc, quod in unum conveniunt, aut ni- hil

hil aliud sanctarum regularum ac institutionum observant, aut potiora omittunt, Conventualium sibi nomen reservant. Quam Tu singularum fere regularum divisionem, & alterius partis perversæ consuetudinis abusum depravationemque non ferens, omnes, qui Conventuales appellantur, ad propriarum regularum exactiorem observationem diligentissime reducere conaberis, ut hoc Conventualitatis nomen penitus destruat. Quod facillime fiet, si in Conventualium monasteriis neminem posse religionem profiteri imperabis, ut omnes religiosorum virorum ac mulierum congregationes Observantes merito valeant appellari. Vanum enim esset de Observantia nomine sibi blandiri aut gloriari, nisi rebus ipsis per veram exactissimam perfectamque sanctarum regularum ac institutionum observantiam condignum nomen inveniretur. Quod facilius fiet, Beatissime Pontifex, si, Te sub anathematis poena jubente, nullus monachorum quovis modo profusus religionem extra claustrum, & extra monasterium, ac seorsum a congregatione valeat habitare, sed quisquis exire monasterium suum, & congregationem relinquere audebit, hic etiam monasticum aut religiosum, quem sumpsit habitum, deponere cogatur, sitque irregularis, ac excommunicatus, & secularibus potestatibus subditus; si, Te imperante, sanctimoniales omnes sic intra monasteria sua restringantur, ut non solum nullam exeundi facultatem habeant, sed neque videant ipsa quidpiam, neque ab aliquo videantur, nimisque illis cum viris alloquendi libertas auferatur; si omnes religiosorum ordines, quemadmodum jam a nostra Camaldulensi religione incepti, ad reformationem invitabis, & quæ singularum religionum Patres in suis conciliis congregati pro bono religionis suæ recte instituerint, Apostolicæ autoritatis plenitudine confirmanda decreveris. Existimandum enim est singulos proprias infirmitates efficacius omnibus sentire, & quæ illis opportuna sint remedia, intelligere; si tam monachi quam sanctimoniales religiosique omnes penitus, quocumque nomine censeantur, ad episcoporum subjectionem, ut non multo ante hæc tempora esse solebant, Te instituyente, revertantur, non quod in electionibus prælatorum aut in temporalium rerum administrationibus se introumittere possint episcopi, sed ut quotiens illis visum fuerit, monasteria per se solos, & non per alios vicarios visitare, errantesque corrigere, & ad veram regularum observantiam ad-

Append. Annel. Camald. Tom. VIII.

ducere valeant; quod monachi ipsi, quibus subesse, potiusquam præesse, proprium est, patientissime libentissimeque suscipient, si viderint prius episcopos tales esse, quales illos esse oportet, qui aliis recte vivendi viam exemplo & doctrina demonstrarent. Neque enim alia de causa factam credimus subtractionem, exemptionemque hæc Abbatum & monachorum ac religiosorum ordinum ab episcoporum potestate, quam olim, cum ipsa fieri cepisset a sancto viro Bernardo, neque decere, neque licere, neque postremo expedire apud Eugenium Pontificem maximum multi conquerebantur, nunc non tantum licitam ac decentem, sed & utilissimam & optimam experimur, nisi quod ea tempestate illi, qui episcopis subiciebantur, pastores se habere sentiebant. Hac autem temporum, immo rerum omnium depravatione rapacissimos lupos pro pastoribus illi se habere, misere experiuntur, qui episcopis subiecti sunt. Unde cum subiciendos episcopis monachos atque alios religiosos dicimus, ut ad perfectam regularum observantiam eos reducant, episcopos priustales esse oportere intelligimus, ut ipsi propriam episcopi atque pastoris regulam observare didicerint; aliter enim non prodesse, sed obesse plurimum religionis ordinibus possent; Sanius enim est nullis quam lupis gregem committere. Hæc aliquaque huiusmodi, quæ partim ad extirpationem ignorantia, superstitionis, dissensionis, ambitionis, avaritiæque a religiosorum animis opportuna jam diximus, partim consulo petranimus, quoniam, quæ Tibi notissima sunt, longioribus persequi minus decet; Quæ, si Tu, Beatissime Pater, facienda studueris, fierique mandaveris, facillime omnilabe vitiorum purgata, religiosorum omnium ordines ad sanctam conversationem, ac ad perfectam sanctarum regularum & institutionum observantiam redibunt, & quales fuisse in initiis suis monachorum & ceterorum religiosorum & mulierum ordines legimus tales in hoc seculorum sine sub Leone X, Pontifice Maximo intuebimur.

Sic sane omnibus Religiosorum hominum vitiis expurgatis, sanctaque in singulis propriæ institutionis observantia renovata, sicut nunc ex religiosorum hominum vitiis quasi ex propriis fontibus multi vitiorum rivuli in Christianam plebem scaturiant, sic ex melioribus religiosorum studiis virtutes in plebem virentes exsurgent; talem enim semper plebem vidimus, quales illi religiosi sunt, qui plebi adhærent, ita ut si religionis vitia expurgaveris, eodem certamine secularium

yy

vicia

viâ expurgasse videberis. Si autem præter majora apertioraque peccata, quæ a sacris tam ecclesiasticis, quam civilibus legibus, divinisque præceptis prohibita ac damnata sunt, quædam alia non tam peccata, quam peccatorum occasiones a Christiana plebe abstuleris, non solum perfectos religiosorum omnium ordines, sed etiam sanctam plebem habere poteris, Quæ autem illa sint, quæ occasionem peccandi populis præsent, ut ex infinitis pene quædam dicamus, juramenta ante alia peccandi occasionem dare credimus. Quoniam dum sæpius juramus, pejerare aliquando contingit. Unde Christianis populis profuturum existimamus, si nemo in iudicio, aut extra iudicium possit ad jurandum vocari, sine expressa episcopi sui concessione, qui & nemini jurare concedat, nisi prius & homines, vitam ac mores, & causam, in qua quisque jurare debeat, diligenter cognoverit; si ab omnibus collegiis, consiliis, congregationibusque secularium virorum ita hæc juramenta prohibeas, ut nulla sit lex, quæ sub pœna perjurii custodiri præcipiat, neque ad aliquid sub sacramenti lege possint ullo modo seculares adstringi. Multa enim sunt collegia, multi senatus, qui leges suas sub sacramento jurisjurandi observandas proponunt, quæ tamen minime observari consueverunt, & quod leve aliquando peccatum erat non observari, pro jurisjurandi obligatione mortale crimen efficitur.

Ludus præterea chartarum, taxillorumque, & omnia ludorum genera maximas præbent peccandi occasiones; per hæc enim lucrandi cupiditas, fallaciarum genera multa, iræ, blasphemiarum, inimicitiarumque oriuntur, & quod horum non levius est, furandi aviditas crescit. Cum enim quis per lucrum proprias amisit pecunias, alienas furari omnino ac rapere stimulat; unde si ludos omnes a Christianis populis auferri jusseris, multæ omnino tollentur peccandi occasiones. Sunt enim, qui minori quodam corporis, præsentisque vitæ detrimento ab iis, quæ animæ perditionem æternam operantur, cavere, bonum esse existimant, & hps, qui aut chartis ludere aut aleis audent, dextera mutilari; eos vero, qui horum ludorum instrumenta conficiunt, pœna capitis, si non deslitterint, vellent puniri. Nos hæc, quæ occasionem delinquendi præstant, omnino prohibenda censemus; quæ vero pœna prævaricantibus sit statuenda, non facile audemus definire.

Sed & quædam sunt sancta ecclesiæ præcepta, quæ non propterea, quod ipsa

non recti in se aliquid habeant, sed quoniam non observantes peccato subijciunt; perversa autem quædam consuetudine, quæ temporum injuria jam inolevit, a pluribus minus observantur; ideo plurimorum peccatorum occasiones habere videntur; quæ quidem cum Divina præcepta non sint, quæ immutari ab hominibus non possunt (jus enim Divinum ex hominum iudicio non pendet) sed de positivo jure censet ecclesia, scilicet potius quam immediata Dei præcepta, & proinde immutari propter populorum salutem non dedecet, propterea sicut multæ religiosorum institutiones habent, ut nullam obligent ad culpam, sed solum ad pœnam, ita si in ecclesiis, vel omnibus vel quibusdam præceptis intelligendum statueris, multa certe a populorum multitudine peccata relecabis; Inter ea autem, quæ hujusmodi sunt, quadragesimalis abstinentia atque jejunium esse manifestissime cognoscitur; dum enim abstinentia a carnibus, ac jejunare sub mortalis peccati pœna præcipitur, multi autem sint, qui a carnibus non se abstinere, plures, qui non jejunant, omnis fere Christianus populus hoc peccatorum laqueo irretitur. Unde quidam sic illud de jejunio præceptum moderandum censent; quadragesimale & vigiliarum indicare jejunium volunt; non autem sub mortalis peccati pœna, sed ut libenter observetur, jejunantibus plena peccatorum remissio offeratur; sine jejunio autem ab esu carniæ se abstinere, dimidiæ peccatorum suorum partis indulgentia concedatur. Quomodo autem sint hæc moderanda & alia hujusmodi præcepta, ut neque nimia indulgentia peccandi libertatem præbere videatur, neque dum ad mortale peccatum obligant, quæ ad salutem instituta sunt, ad damnationem esse videantur, Tuæ solius sapientiæ munus esse censemus.

Alium præterea a diabolo paratum laqueum videre nobis videtur, qui multas secularium hominum animas capit. Mos enim in plurimis locis pessimus, ut nos credimus, inolevit; Contrahentes enim inter se seculares viri pro debito excommunicari se posse statuunt, nisi statuto tempore solverint; quod, si recte sentimus, idem est, quod in forma cameræ obligari, & cum minus possint, quæ promittunt, debito tempore exsolvere, excommunicationis pœnam incurrentes, pro temporalibus negotiis æternam salutem amittunt. Unde Sanctissimus Tuæ pietatem hæc passura non credimus, sed statues potius, Beatissime Pater, ut nullus, qui clericus non sit, possit aliquo modo neque

que in forma Camerae se obligare, neque pro debito aliquo excommunicari.

Præbent multas viris delinquendi occasiones lasciviores mulieres. Dum enim & fucis & cerussa faciem pingunt, dum discooperitis crinibus in aliquibus locis procedunt, dum ad Misarum celebritates, ad divinum audiendum verbum permixtæ viris mulieres, & viri mulieribus conveniunt, magna & pene inevitabilia animarum incendia præparantur. Quare si fucis omnibus uti mulieres prohibeantur, si velato capite incedere præcipiantur, si in ecclesiis semper mulieres seorsum a viris, & viri a mulieribus esse statuuntur, quod antiquæ legis præceptum est, ut usque ad præsentem diem ab Hebræis custoditur, ut ecclesiarum anterior pars mulierum, posterior virorum sit, multa peccatorum incitamenta & fomenta destruentur.

Sed & illud abominatione plenum esse videtur, quod cum olim meretricibus unus tantum in occultioribus civitatis partibus locus concederetur, nunc passim per omnes vicos & plateas habitare, maxime in ea, in qua Tu resides, Urbe permittatur. Quæ impia indulgentia multa millia animarum pessime perdit; dum & mulieres hoc pacto minus per verecundiam coercentur, & viris occasio peccandi ubique parata eos sæpius peccare invitat, & juniores adolefcentulæ malarum seminarum, quas ubique videre possunt, exemplo, ad quascumque turpitudines incitantur. Hoc tam magnum malum auferre volens Tu, Beatissime Pater, cui non maximarum modo rerum, sed minimarum etiam cura incumbit, & pessimas feminas in aliquo civitatis cuiusque angulo relegandas curabis, & illos, qui alibi in civitate domum illis ad habitandum concesserint, gravissime puniendos esse statueris. Communia hæc omnibus Christianorum civitatibus satis futura esse remedia contra hoc lethale malum existimamus. Romæ autem, quæ gravius turpi hucusque sædissima deformitate laborat, majora efficacioraque sunt remedia excogitanda. Non enim facile potest perversa consuetudo, peccandique impunitas, quæ in Urbe prævaluit, auferri; in ea enim nulla est adeo frequentata via, in qua non plures meretrices inhabitent. Horret animus cogitare sacratum palatium tuum meretricibus circumdatum ita, ut neque Tu e domo pedem efferre possis, neque aliquis sedem Tuam adire, cui mille meretricum una spectacula non sint sintuenda. Eam semitam, qua Tu sacratissimum Christi corpus sanctis manibus deferre soles, quinam, nisi

Append. Annal. Camald. Tom. VIII.

turpissimæ meretrices inhabitant? eoque deventum est, ut palam media die per Urbis frequentissima loca Curiales ipsas meretrices in equis suis deferre non erubescant. Audiveramus olim; hæc ne credere potuissemus, nisi his oculis & hæc vidissemus, & turpiora, quæ pudor referre prohibet. Effecta est jam Roma, quæ civitas regia sacerdotalisque esse solebat, turpissimum sædissimumque lupanar, ita ut ex sacerdotibus, & iis, qui in majoribus sunt dignitatibus constituti, non unam, sed plurimas concubinas habere, easque ex ecclesiæ redditibus delicatissimis cibus pascere, pretiosisque indumentis vestire nullus sit pudor. Hæc, si Tu non vides, quæ in oculis tuis fiunt, nescimus, quomodo episcopi munus adimpleas; si vides & dissimulas, timendum est, quod cum bona Sanctitatis Tuæ venia dixerimus, ne Heli sacerdotis pœnam incurras. Excita, Pie Pater, rectitudinis Tuæ zelum, & turpia hæc & fetida, quæ univèrsam fere orbem ad indignationem commoverent, ex Urbe expelle, aut saltem longe a palatio Tuo remove. Dum enim hæc permittuntur, mirum non est, si apud Christianas nationes Romana Curia non ea, quæ decet, venerationem habeat. Quis enim has turpitudines audiens potest eos, qui hæc faciunt, aut fieri permittunt, ullo modo venerari? Sed unde digressi sumus, revertentes, his, quæ diximus, Beatissime Pater, multa similia esse credimus, quæ Christianæ plebi plurimas peccandi occasiones præstare videntur; quæ a Te corrigenda esse non minus optamus, quam speramus; dimitimus autem plura recensere, quoniam Sapientie Tuæ omnia notissima esse non ambigimus, & hæc pauca exempli potius gratia diximus, quam quod hæc ipsa Te latere ullo modo suspicari simus.

Christianæ Reipublicæ membris omnibus languentibus, Te, Beatissime Pater, singulis pro singulorum infirmitate remedia excogitare atque præparare (sicut jam diximus) dubitare non possumus. Sed & præter peculiarem singulorum membrorum medicamenta, quædam etiam universalia omnibus simul corporis hujus membris salutaria, ac multum omnibus profutura perquisisse atque jam advenisse Sanctitatem Tuam existimamus; inter quæ primum fortasse locum tenet illud unum, sine quo nulla religio, nullus ordo, nulla congregatio, nulla ecclesia rectæ conversationis, sanctæve alicujus institutionis regulam custodire diutius potest; sine quo neque pars hujus Christianæ Reipublicæ ulla, neque tota ipsa Fidelium congrega-

yy ij

tio

tio proprium robur, & proprium decorem fervare diutius valet. Hoc autem est frequens Conciliorum celebratio. Te igitur, si omnia sanctæ ecclesiæ membra juvare atque fovere desideras, hoc potissimum statuere decet, ut omnis religionis ordo, omnis religiosorum congregatio frequenter Patrum, qui in eo ordine sunt, concilium, quod ipsi Capitulum vocant, studeat advocare atque celebrare; ut omnis episcopus eorum, qui sub se sunt, clericorum ac presbyterorum & sacerdotum omnium synodum sæpius advocet, in qua cum Dei timore de ordinis sui reformatione, atque de recta populorum institutione quisquis sollicitus sit; ut ad Metropolitanum episcopum ceteri sub eo constituti episcopi, cum sacerdotum suorum senioribus, atque præstantioribus, quotannis ad synodum metropolitanicam celebrandam statuto die occurrant. Quibus episcopaliibus, aut Metropolitanis conciliis sæpius, aut semper aliquis ex Cardinalium numero, aut ex familiarium Tuorum probatissimus vir Tuo nomine assidet atque præsideat. Ut illud, quod tanto perfectius esse credimus, quanto commutæ est universali Ecclesiæ, custodiatur, ut scilicet universalis totius Ecclesiæ Concilia non solum quolibet decennio, sed omni quinquennio celebrentur; sine his enim stare Ecclesiam Dei non posse experientia didicimus; nihil enim aliud ex optima atque perfectissima, ecclesiam Dei ad eum, in quo nunc est, miserrimum statum deduxit, nisi huiusmodi Conciliorum omisio. In universali autem Concilio, si de totius Ecclesiæ unitate, si de singularum ecclesiarum reformatione agendum sit, non videmus, cur, qui Christiano nomine censentur, & illi, qui magis, quam reliqui omnes, reformatione indigent, nimirum Græci homines, atque sex aliæ Christianorum Nationes ad hoc Concilium non advocentur? Quantum enim legimus, universalis Concilia cum celebrari præcis temporibus solebant, non ex Italia, aut ex Europa solum, sed ex universo orbe Patres advocabantur; unde & œcumenica vocata esse censemus. Quem si morem, qui Apostolicam sedem tenuerunt, studeissent fervare, non esset Romana Ecclesiæ, quæ caput cunctarum Ecclesiarum est, jam nobilissimis membris suis viduata, neque essent aliæ tam claræ ac præstantes Africae & Asiæ Ecclesiæ a Romana omnium Ecclesiarum matre divise, & his, qui Romæ degunt, incognitæ. Tibi vero Beatissime Pater, qui a Domino ad Ecclesiarum omnium sollicitudinem habendam advocatus, universis Ecclesiis præpositus es,

opus incumbit, ut quemadmodum nobilissimæ illæ Ecclesiæ per incuriam, socordiamque aliquorum, qui sedem hanc Romanam tenuerunt, ab ipsa Romana Ecclesia ita divise sunt, ut vix aliqua earum memoria reservetur, ita sapientia sollicitudineque Tua hæc ipsæ Ecclesiæ capiti suo, Romano scilicet Pontifici, conjungantur, uniantur, ac in manifestiorem cognitionem eorum, qui Europam incolunt, redire incipiant. Quod si non omnes simul statim ad unitatem atque subjectionem Romanæ Ecclesiæ reducere poteris, maxime nisi prius Insidelium, & Mahumetanorum hominum genus deleveris, quod quasi inter Te & illas paries a Diabolo constructus eas longe retinet, satis futurum esse credimus, quod sicut paulatim per multorum annorum tempora hæc divisio facta est, ita paulatim per alicujus temporis curriculum ad unitatem redire, modo una, modo alia, incipiat; neque nunc parum erit, si tot jam ante annis dimissam penitus, nuperrime autem in lucem revocatam Conciliorum consuetudinem stabilire decreveris, ut universale Concilium, quod apud Lateranum celebrare Julius cepit, & Tu profæqui non desististi, perfici curabis, si illud non ad aliud, quam ad Ecclesiæ veram unitatem atque reformationem celebrari statueris; si ad Concilium illi advocentur potius, qui zelo fidei nihil veritati præponere audent, quam illi, qui sublimioribus blandiri atque adulare consueverunt; si illis, qui in eo fuerint, loquendi omnis penitus libertas tradatur, & veritas ita suscipiatur, ut fallacis & adulationibus nullus in eo locus esse videatur; si non veteri illo proverbio: Veritas odium, adulatio amicitiam, sed potius adulatio indignationem, veritas gratiam pariat. Si tale, Beatissime Pater, Concilium celebrare statueris, facillime fiet, ut in eo, & singularum membrorum Christianæ Reipublicæ, & universæ Ecclesiæ saluberrima remedia Domini benignitate, ministrante Te, & libenter saniora consilia recipiente, inveniantur, quibus ad veram sanitatem ac perfectum decorem languida diu, & turpitudinibus multis sedata hæc Christi sponsa reducatur, ut qualem in Salomone descriptam in Canticis Canticorum legimus, talem ipsam his oculis sine ruga & sine macula totam pulcherrimam & totam decoram intueamur.

In hoc autem Concilio nihil fortasse Beatitudini Tuz magis curæ erit, quam exortum sub Julii pontificatu schisma, quemadmodum cepisti, jam penitus sedare, atque singula divisa membra ad caritatis uni-

unitatem ducere. Quid enim boni in Ecclesia esse possit, si caritatis perfecta unio desit, non videmus; propterea sapientiam Tuam ante omnia curaturam credimus, ut ad imitationem illius Domini, qui omnes a se recedentes benigne advocat, revertentes late suscipit, eos, qui quavis ratione ab ecclesia recesserunt, illa, qua maxime præstas, benignitate advocare non cesses, reversos autem non secus ac filios trahes, & eos, qui posthac reverti voluerint, læto animo ac serena fronte suscipias, non quantum erraverint, sed quantum Tibi eorum, ecclesięque salus curæ esse debeat, respiciens; neque enim pius ille de Evangelio pater filium prodigum ad se revertentem, quod omnia bona sua dissipaverat, arguit, sed potius quod filius erat, magno gaudio suscepit, celebreque lætitiæ convivium parari iussit. Qui enim examinare præteritam culpam intendit, hic non parcere ac misereri, sed potius vindictam retribuere velle videtur; qui namque magnanime parcat, ille non errasse etiam eum, cui parcat, cupit videri. In hoc autem toto schismatis negotio, quod magno quidem momenti est, & Julio, qui ante Te beati Petri sedem tenuit, multas sollicitudines pariebat, nullus Tibi labor futurus est, cum Deus, qui omnia in hoc pontificatu Tuo mirabiliter operatur, ita ut verissime nunc dicere possint, qui videre redemptionem Israel expectant; Magnificavit Dominus facere nobiscum, ipse, Te hoc nec procurante, nec cogitante fortasse, & quasi dormiente, ipsos schismatis auctores his proximis diebus, præter omnium expectationem, in Tua posuit potestate, & eorum animos ita ad Tui reverentiam, atque Ecclesię caritatem convertit, ut magis a Julio, quam a Pontificis persona, magis ab eo uno homine, quam ab ecclesia dissentisse ostendere multis argumentis conati sint. Et Tu, qui pii parentis erga omnes affectum geris, hos ipsos schismatis auctores, Pontificis auctoritate undeque servata, ad pristinam dignitatem restituisi; pulcherrimum certe facinus, & pontifice maximo dignum; uno namque eodem die poenitentibus magnanime pepercisti; divisa a Capite nobilissima membra omni cum dignitate ad unitatem reduxisti, oves, quæ perierant, invenisti, & ad gregem Domini propriis fere humeris reportasti, & perfectum certe pii parentis, pontificis maximi, pastoris munus implevisti. Cum vero ipsa Dei providentia hos duos totius schismatis principes ad te adduxisse videatur, & illi non corpore tantum; sed animo & volunta-

te, in quibus nulla potestatis Tuae vis extenditur, sponte se ad unitatem caritatis, ad subiectionis reverentiam obtulerint; quid aliud sperare nunc possumus, quam horum exemplo reliquos omnes schismaticos jamjam Tuae subiectos esse voluntati? Quæ quidem in re, si fuerit Tibi a Domino reliquos etiam conciliandi oblata occasio, Tu eam nequaquam spernes, ut vera Ecclesię pace atque unitate reddita, magno harum sollicitudinum onere liberatus, ad Ecclesię sanctę reformationem majori cura, liberiorique animo vacare possis. Reliquos igitur schismaticos, Beatissime Pater, quos pro innata benignitatis Tuae observantia, pro pastoralis, quam geris, omnium cura, etiam retrocedentes revocare, ac repugnantes amare debes, cum se se ultro revertentes obtulerint, & obedire potius Tibi, quam repugnare ullo modo paratos esse confisi fuerint, suscipere ne differas. Aliter enim, nec fratrum Tuorum salutem amare, neque Ecclesię unitatem, neque ea, quæ unitati conjuncta sunt, bona diligere, calumniari poteris.

Vera autem atque perfecta reddita Ecclesię unitate, tunc ad reformationem Romanę curiæ omnes mentis Tuae vires extendere debebis. Ad quam perfecte instruendam tria Tibi potissimum, præter ea, quæ dicta sunt, necessaria existimamus. Primum quidem, ut Sapientiæ Tuae oculos, nulla rerum magnitudine, nulla consuetudinis, immo perversę abusionis causâ perstringi aut obturari patiaris; sed & præsentem Ecclesię statum, ne ruinam ac desolationem potius dicamus, intuens, & in profundum vulneris ejus aciem dirigens, Ecclesiam ipsam Dei magna reformatione egere in animo statuas, eamque Tibi, non sicut est, possidendam, sed reformandam a Deo traditam, sine hæsitatione arbitreris, atque pro reformatione ejus multo magis quam pro quavis alia re Tibi laborandum esse statuere velis. Nisi enim laborare Ecclesiam crederis, nisi Tibi quasi medio ad sanandam traditam credas, nisi diligenter salutem ejus curare statuas, nihil est magni, quod sperare Christiana abs Te Respublica possit; nihil est momenti alicujus, quod Tu præstare valeas. Si vero hæc, quæ diximus, semel susceperis ac statueris, Secundum, quod non minus necessarium credimus, est, ut non tantum, quales illi nunc sint, qui sub Te Ecclesię sanctę moderamina tenent, respicias, sed potius quales illi futuri sint, qui a Te ad hujusmodi regenda munera eligendi sunt, sancta intentionis perspicacia, sancta mentis

tis virtute intuearis. Vineam enim hanc Domini, quæ pro vuz dulcedine, fellis parit amaritudinem, & venenum aspidum insanabile, non tantum est veterum vitium curatione in meliore informam vertenda, quantum novis optimis furculis positis penitus innovanda; minor enim labor futurus est, novas teneriores vites alere, quæ dulces affiant fructus, quam veterum amaritudinem in dulcedinem commutare. Tibi præferim, qui ea diei hora, eo ætatis Tuæ flore, ad colendam Domini vineam advocatus es, ut quos modo humiles furculos plantare incipies, eosdem altissimas vites videre possis, fructusque ex laboribus tuis desideratissimos abundantissimosque suscipere: Cum enim vetera quæquam paulatim deficient, si nova Tu a veteribus diversa statuere decreveris, non post multum temporis fiet, pro veteribus novis semper crescentibus, ut tota innovata Ecclesiæ forma appareat. Et qualem Tu Tibi ipsi illam facere proposueris, talem Te videre continget. Supremo etiam desiderio Te omnes Italiæ partes, omnes Christianas regiones jam perquirere credimus, & quoscumque viros moribus doctrinaque præditos invenies, eos in mentis Tuæ arcano seu aliquo etiam quasi catalogo describere censemus, ut cum aliquis ex iis, qui modo Ecclesiæ gubernacula tenent, decesserint, semper in promptu habeas, quem loco ejus subrogare debeas, sique paulatim his, quos ex universa Christiana Republica elegeris, sanctam Ecclesiam Dei committes, fiet quam cito, ut recedentibus veteribus, nova sint omnia. In hac autem electione, in hac electorum a Te promotione, atque in omni Pontificatus Tui munere non eos Te audire velle consiliarios credimus, qui blandiri, qui adulare, simulare atque dissimulare studeant, quales fere omnes futuros illos existimamus, qui a Te aut dignitatem, aut beneficium, aut propriam gratiam aliquam sibi reportare cupiunt; hi enim propriis affectibus devincti, dum illis inserviunt, raro veritatem propriæ commoditati, aut propriis desideriis anteponunt. Sed illis potius aures a Te sunt accommodandæ, qui non, quæ sua sunt, sed quæ Domini Jesu Christi querere soleant, qui nihil a Te nisi commune omnium bonum aut postulare statuunt, aut recipere sint parati, qui usque adeo non seipsos magis, quam Ecclesiæ sanctæ integritatem diligant, ut pro communi Christianorum bono morti, & si opus sit, se adicere non recusent. Tales, qui sincere, nulla propriis affectione ducti, veritatem ante omnia

colere cupiant, si audire statueris, nullæ blanditiæ animi Tui virtutem emollire, nullæ adulationes mentis Tuæ aciem perstringere poterunt. Sed Te sapientissima excogitante, & his, qui ad aures Tuas loquuntur, recta animi Tui consilia non corrumpentibus, sed potius confirmantibus, eveniet certe, dum Tuum potius quam aliorum consilium suscipies, dum illud, quod proverbio dici solet, eos qui imperant, ab aulicis semper vendi atque decipi, evitabis; ut quod vix fieri nunc posse existimatur, statim ab omnibus factum esse conspiciatur, novaque quasi de Cælo veniens ornata viro suo sponia sancta apparebit Ecclesia. Maximam vero in electionibus ac promotionibus hoc pontificatus Tui initio Te habere velle rationem judicamus, quoniam omni dubio procul qualis futura sit sub Te Christi Ecclesia, qualis Pontificatus Tui cursus, in his initiis quasi in quodam speculo universi intuebuntur, & omnes jam, qui tam propria commoda quærunt, quam qui communem utilitatem desiderant, tam mali scilicet quam boni, ad hoc unum intentissime respiciunt, quales scilicet Tibi eligere, quales promovere viros incipias, ut inde argumentum capere possint eorum, quæ aut illi propria, aut isti communia bona sperare valeant. Magni certe momenti totiusque rei pondus hoc est; læt quamcumque enim partem hæc primo libra inclinare ceperit, in eam per quam certissima tota devertet Ecclesia. Tertium post hæc, quod maxime omnium ad perfectam Ecclesiæ reformationem necessarium credimus, est, ut quæ sive a sanctis civilibus & ecclesiasticis legibus recte decreta sunt, sive quæ Tu in universali hoc Lateranensi Concilio, aut alio quovis modo decreveris atque statueris, custodiri atque observari inviolabiliter facias, impunisque nullus sanctarum institutionum prævaricator permittatur; aliter sanius certe est nihil statuere, quam statuta permittere, ut minus observentur; & nihil sane prodest ea sapientia, quæ recte novit excogitare, si illa justitia desit, quæ excogitata faciat custodiri. Tria hæc, quæ diximus, quæque etiam Te quotidie excogitare credimus, ad totius Ecclesiæ reformationem, quamquam alia minus certe necessaria deesse possint, satis sunt futura. Nam si Tu ad hanc reformationem toto animo respexeris, si ad hoc opus invigilare decreveris, non deerunt sapientiæ Tuæ optima ad ipsam aggrediendam consilia. Si vero diligentissimorum, quorum consilia audias, considerabis, si quos ad Tecum regendam Ecclesiam suscipias, intuea-

intuearis, non deerunt Tibi auxilia, quibus suffultus rem ipsam pro votis perficere possis. Si postremo, quæ a sanctis Patribus decreta jam sunt, aut deinceps a Te statuentur, observari curabis, perfectioni firmitatem tantam adjicies, ut nulla pervertitatis vis sanctam valeat amplius Ecclesiam conturbare, sed Petro & Paulo, qui Ecclesie Romanæ maximam semper curam habuerunt, intercedentibus, votis Tuis, immo honorum omnium, Deus ipse & Dominus Jesus Christus ita propitius aderit, ut sicut in Cælis ipso regente una est Beatorum omnium Ecclesia, sic etiam in terris unam sub Te humanarum creaturarum omnium Jesu Christo servientium Ecclesiam intueamur, ad instar illius cælestis Hierusalem, pacis ac justitiæ plenam, in qua nullum vitium, sed perfectarum omnium virtutum plenitudo inhabitabit, cui Tu, Beatissime Pontifex, qui Christi vices geris in terris, dux, princeps & pastor, custos, solusque moderator assides.

Hoc est, Sanctissime Pater, Ecclesie Dei curam habere, jura Ecclesie tueri; Ecclesiam enim regere nihil aliud est, quam humanarum creaturarum omnium gubernationem recipere; hoc est beati Petri domum, quam destructam, desolatamque, ac totam pene solo miserabiliter æquatam accepisti, reparare & erigere, ut in sanctum vivis ex lapidibus ædificium ad cælum usque confurgat. Hæc quidem magni animi, magnæ prudentiæ, magnæque sanctitatis opera sunt, & quæ maximum atque magnanimum pontificem decent, quæque etiam illum possint veris laudibus, ac solida gloria ad Cælum extollere, & cælestis æternæque felicitatis participem facere. Qui autem putant, quod pretiosarum in conspectu Domini animarum cura neglecta, terrenum Ecclesie imperium aut tueri aut augere, atque in hoc uno omnes curas & sollicitudines ponere, magnanimitatis sit; illi certe non rerum naturas considerant, non recta judicant ratione, sed perversa quadam consuetudine obcecati, rerumque visibilibus ac præsentium nimio amore devicti falluntur quammaxime, dum caducis & vanis bonis perpetua ac vera bona præponere nequeunt, dum Ecclesiam sanctam Dei, non Fidelium congregationem, sed terrenum aliquod imperium putant, dum Pontificis curæ & fidei, non animarum salutem, sed terrenarum rerum administrationum commissam existimant, & illum, qui in terris est dignissimus Dei vicarius, & divinis solum atque æternis rebus intentus esse deberet, vilissimum terrena-

rum divitiarum negotiatorem faciunt. Quod si quis obdurato ita sit corde atque obcecata mente, ut nihil aliud esse Ecclesiam Dei, quam civitates, regna atque imperia terrena arbitretur, ac dignissimum ac magnanimum illum vocare pontificem velit, qui hæc ipsa Ecclesie bona aut tueri, aut ex tyrannorum manibus vindicare invigilet atque laboret, nonne dementiæ atque insanie proximum est, illum magnanimum atque potentissimum pontificem credere, atque communi omnium voce acclamare, qui magna regna, magna Ecclesie imperia ab impiis tyrannis inique possideri permittat, neque ad ea consideranda, nedum vindicanda, aciem armatorum virorum, sed neque oculorum convertat, ad quasdam autem sarcinulas colligendas totus occupetur, omnes pontificalis dignitatis vires auctoritatemque exerceat, nescio quomodo non videat, quomodo pontifici maximo, & ei pontifici, qui pro magnanimitate velit haberi, indecens atque indignum sit, cum universus orbis terrarum sub pontificis positus sit potestate, minutias quasdam atque exiguas portiones ipsius creditæ sibi universitatis diligentius querere? Si vero ad temporale Ecclesie imperium augendum spectes, numquid Te animo & virtute Alexandro minorem sentis, cui unus non sufficit orbis? Numquid ullum unquam Romanum Principem Te majorem fuisse existimas? & tamen olim Romanis Pontificibus orbis serviebat universus. Numquid Te Urbano, aut Julianum fratrem Tuum Balduino aut Gotifredo conferre timebimus, qui Hierosolymam & alia circumjacentia loca, expugnavit Infidelibus, Christiano adjecere imperio? An propria hæc istorum hominum virtute facta existimas, an Domini auxilio perfecta? Si de humana virtute hæc evenisse sentimus, de Tua, quæ magna certe est, & omni major existimatione, cur talia & his majora sperare non possumus? si de divino auxilio procedunt; quid est, unde Sanctitatis Tuæ divinum defuturum auxilium suspicari valeamus, cum Tu sis super mortales omnes moribus optimis præditus, virtutibus præclarissimis ornatus, religionis zelo & pietatis fervore succensus, & maxima erga Deum & homines caritate plenus? Numquid sic affecto deesse unquam divinæ clementiæ munus potest? Aggredere, Beatissime Pater, aggredere opus, ad quod a Domino vocatus es, & hæc omnia, quæ diximus, quæ nobis magna videntur, in propriæ virtutis conscientia, Te nequaquam majora, existima, & de Divini auxilii confidentia ea certe

certe non solum majora, quæ nobis apparent, sed parva & levia & ad conficiendum faciliora judica; aggredere jam opus, quod nisi incipere pigeat, nunquam incepisse penitebit; Perficies enim, si semel inceperis, facilius omnia, quam sperare aut optare potuisses. Id nos existimare ea faciunt, quæ in Te a Domino mirabiliter sunt operata. An sperare aliquis aut optare unquam potuisset, Te ex captivitate ad libertatem, ab exilio in patriam, ea quæ vidimus, facile reverti? An Tibi aliquis ita affectus est, ut Te trigessimum septimum annum agentem, ac juniore ætate, his adhuc florentibus annis, præter temporum consuetudinem, ad Apostolicæ dignitatis sublimitatem ascendere, aut sperare, aut optare ausus esset, & tamen, cum ceteris pene patribus omnibus Tuis Cardinalibus minor ætate sis, quasi alterum Josephum adoraverunt te fratres Tui, & quasi alius David, qui fratrum suorum minimus fuit, a Domino electus es, ita ut vere ad Te dicere possit Dominus: Posui adjutorium in potente, & exaltavi electum de plebe mea, inveni Leonem servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Lege, Beatissime Pater, quæ sequuntur, & vide, si non ille, qui hæc mirabiliter in Te operatus est, adhuc mirabilia promittat: Manus, ait, mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum; & ut magna cum fiducia inter cetera, quæ a Te perficienda sunt opera, ad Infidelium expugnationem accederes, de illis victoriam promittere Tibi non dissimulavit, dicens: Concidam a facie ipsius inimicos ejus, & odientes eum in fugam convertam. Vide, si non hoc jam præstare ipse abundantius voluit, quam aliquis Tibi optare potuisset. Quis enim Tibi tanta caritate devinctus est, ut optare aut sperare unquam potuisset, in his Pontificatus Tui auspiciis, schismatis auctores in Tua devenire potestate; reges ac Christianorum omnium Principes a Tua pendere voluntate? Quæ quidem omnia Divinæ in Te propensionis magna sunt argumenta. Non est igitur, unde hæc ipsa, quæ tam magna, tam ardue prima facie videbantur, exigua, leviaque ac facilia Tibi non appareant. Qui si & de virtute Tua (nisi humiliter quam ceteri omnes de Te sentire didicisses) confidere satis posses, quique in arduissimis semper rebus Domini auxilium Tibi adfuisse expertus es, eundem semper Tibi affuturum non est, cur sperare non debeas? Aggredere igitur Judæos, & Idololatrias convertere, Mahumetanos aut ad fidem aut ad interitum

deducere, Christiani nominis populos omnes Romanæ Ecclesiæ potestati subijcere, & quasi capiti suo membra conjungere; a fidelibus omnibus Ecclesiæ filiis vitia evellere, virtutes plantare, Ecclesiam Christi & numero & virtute Credentium & spiritualium rerum imperio augere. In quibus tamen conficiendis, si pro experienda animi Tui fortitudine, contradictiones, difficultatesque aliquas insurgere Deus optimus rerum moderator permittit, Tu, Beatissime Pater, qui non cedere malis usu jam didicisti, contra omnia, quæ adversari votis Tuis videbuntur, audentior ibis; sciens, quoniam opera, quæ secundum fidei pietatem fiunt, contradictionem sustinere solent; omnes enim, qui pie volunt vivere in Christo, persecutiones patiuntur, & vita hominis militia est super terram. Quod pietatis Divinæ dispensatione fieri non ambigimus; qui enim nos gloria & honore coronare vult, his contradictionibus atque difficultatibus non opprimi quidem, sed exerceri permittit; quoniam coronari minime dignus videri potest, nisi qui legitime certaverit. Quæ Tu, Sanctissime Pater, optime intelligens, & quæcumque oppugnationes insurgent, in his perficiendis non ad opprimendam, sed ad exercitandam virtutem Tuam, non ad diminuendum laborum Tuorum fructum, sed ad mercedem augendam permitti cognoscens, tamquam strenuissimus miles lato animo excipies. Solent enim, qui magnanimitate pollent, in hac spirituali terrenaque militia, ad declarandam virtutis suæ præstantiam fortem atque ardentem, potiusquam ignarum aut desidem adversarium optare; ubi enim major pugna, & difficilior expugnatio, ibi & virtutis apertior est declaratio, & non recedentibus victoria lætior, mercesque copiosior certa fide promittitur.

Hæc tamen omnia cum Tu perfereris, cum & alia assequutus a Domino, & majora fueris, quæ nec nos cogitare possumus, neque Tu optare fortasse audes, tunc illud, quod perfectionis multum plus habere certissimum est, quasi ultimum comædiæ actum Tibi perfeceris superest; quod pastoralis officii ac muneris postremum esse beatissimus Gregorius affirmat. Hoc autem est, ut postquam & recte vivens, & alios omnes recte vivere docens, hæc omnia confeceris, Tu temetipsum consideres, ne magnitudo virtutis occasionem perditionis præbeat; & qui universum orbem deviceris, Temetipsum per veram humilitatem, quæ perfectior est victoria, & triumphî species magnificentior, vincere satagas, non de

iis, quæ feceris, gloriam querens, sed de iis, quæ omiseris, rationem reddere pertimescas; immo & in iis, quæ feceris, non Te auctorem, sed ministrum, ac Domini illius instrumentum cognoscas, qui pro sapientia potentiaque suæ immensitate & vilioribus sæpe & minus idoneis instrumentis mirabilia solet operari. Memineris, quate Tibi sit a Domino concessum ministerium, & dices cum Paulo: Si evangelizavero, si hæc omnia perfecero, non est mihi gloria, sed necessitas ita faciendi incubuit; & secundum Domini Jesu-christi præceptum, cum hæc &

alia omnia, quæ ipse Dominus præcepit impleveris, dices: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, hoc fecimus; neque propterea mercedem aut gratiam a Domino expostulare audebis, quia ea feceris, quæ imperavit, sed potius misericordiam ejus confidens, Te totum miserationibus ejus committes; omnes enim cum peccaverimus, omnes misericordia ejus egemus. Hæc sunt, Beatissime Pater, quæ dicere debuimus. Tu nobis quæsumus, vestigia pedum Tuorum devoto corde osculantibus, benedictionis Apostolicæ munus impartire.

[Faint, illegible text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.]



[Faint, illegible text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.]

